


LIBRI QVATVOR

DE SCRVPVLIS CHRONOLOGORVM

IN QVIBVS NON SOLVM CALculus Sacræ ſcripturæ cum Serie quatuor Monarchiarum, & Olympiadibus Græcorum, atq; Annis ab Vrbe Roma Condita pulcherrima harmonia conciliatur.

SED ETIAM QVAM PLVRIMI ET DIFFICILIMI SCRVPVLI, QVI HACTENVS IN HANC HARMONIAM irrepſerant, multosq; antiquitatis & Veritatis diligentiſſimos inquiſitores non parum torſerant, ita eximuntur, ut maiore cum luce, fructu & voluptate tam Sacræ quàm Prophanæ Hiſtoriæ ab omnibus legi poſſint.

CONSCRIPTI
A' *Clemente Schuberto, Luſatio, Eccleſiaſte Spirenſe.*

NVNC PRIMVM EDITI, CVM PRAEFATIONE Davidis Chytræi: & authoris Exemplari Chronologia.

1. 5.  7 5.

PRIVILEGIO CAESAREO.

Argentorati.

Excuſum apud Bernhardum Iobinum.

ILLVSTRISSIMO

ATQVE PIISSIMO PRINCIPI

ac Domino, Domino Ludovico, Duci à VVirtenberg & Teck, comiti Montis Beligardi, Domino suo Clementissimo.

(.:.)



AGNÆ SVNT TENEBRÆ IN scriptoribus Ethnicis, qui luce verbi Dei destituti, antiquorum temporum historias in literas retulerunt. Nam, ut de Græcis tantum dicam, qui præ alijs laudem veritatis sibi vendicant, constat eos nequidem religionum, sive potius Idolatriarum suarum origines & initia recte tradere: Quæ enim ipsi suo Dionysio, Herculi & Pani tanquã Dijs penatibus ascribunt, ea à veritate maxima ex parte sunt aliena, & ex Diodoro Siculo meridiana luce clarius constat, hos fictitios Deos, ex Ægypto oriundos, homines fuisse, atq; aliquot millibus annorum (ut Ægyptij annos numerant) antea obijsse, quàm ullus vel Dionysius vel Hercules vel Pan uspiam in Græcia extiterit.

Sola autem ECCLESIA filij Dei Domini nostri IESV CHRISTI, quæ amplectitur scripta Prophetica & Apostolica veram historiam de his maximis rebus continet: De Creatione Mundi & omnium rerum visibilium & invisibilium, de Patefactione Dei, de lapsu generis humani, De Pœna diluvij universalis, De promissionibus æditis de Christo, De causis constitutę & deletæ Politiæ Iudaicæ, De serie quatuor Monarchiarum & præcipuorum regnorum Mundi &c.

Nullius fere vetustioris historiæ memoria apud Ethnicos extat, quàm Diluvium Deucalionis in Thessalia: at Ecclesia ex Sacra Scriptura, cui & Berosus consonat, palàm facere potest, Mundum ante hoc Diluvium iam ultra bis mille & quadringentos annos stetisse, & Diluvium Noe hoc Thessalicum fere octingentis annis præcedere.

Etsi autem sola Ecclesia Filij Dei, de vera serie temporum ab initio Mundi, usq; ad nostram ætatem gloriari meritò potest, tamen & hoc fatendum est, in hac serie temporum adhuc scrupulos non leves extare, qui multas & præstantes viros hucusq; maximopere exercuerunt, de quibus scrupulis, qui & quot præcipue sint, postea suo loco dicemus.

Hi cum mihi, mininio omnium, quoq; non parum negocij facerent, atq; in lectione sacrorum librorum properantem nonnihil remorarentur, cœpi penitius inquirere, num aliquo modo ex recto & plano tramite temporum, hæc quasi obstacula amoveri aut saltem declinari

possent: Laboravi autem frustra aliquot annis, interim tamen de studio & opera mea (succisivis tamen horis tantum) nihil remittens, donec tandem magis divina patefactione, quàm mea industria visus sum deprehendere, ubi & à quibus hactenus sit erratum, & quomodo pulcherrima harmonia Sacræ & profanæ Historiæ, potissimum autem tempora Regum Iuda & Israel, Item series Regum Medorum & Persarum inter se & cum alijs aliarum gentium temporibus conciliari possent.

Hos vero labores meos in quatuor libros de Scrupulis Chronologorum congestos cum in utilitatem Ecclesiæ Filij Dei publicare vellem, id Clarissimorum aliquot virorum & communium amicorum (quibus aliquid mearum pagellarum communicaveram) crebris adhortationibus & sedula petitione, commotus, & deliberarem cui potissimum pro recepta consuetudine eosdem dedicarem.

Occurrit mihi Illustrissime Princeps LVDOVICE inprimis Celsitudo tua, erga quam & ipse figulari quodam amore animi semper affectus fui, & ut eidem fœtum meum literarium offerrem ab aliquot Clarissimis viris, tum à nonnullis Inclytæ Domus VVIRTENBERGICÆ eximijs clientibus hactenus aliquoties sum admonitus. Nãcum Celsitudo Tua, cùm vera pietate & virtute, tùm alijs Heroicis dotibus & ornamentis Illustrissimum Dominum Parentem suum Ducem CHRISTOPHORVM pijssimè in CHRISTO defunctum præclarè imitari, & eiusdem Clementiam & munificentiam erga Ecclesias & Scholas atq; liberalium artium studia summa cum laude continuare feratur, non æstimavimus fieri posse, ut hæc Dedicatio non quam optimè & Celsitudini Tuæ & mihi collocaretur.

Celsitudini enim Tuæ, in quam certatim omnes literati (inter quos me infimum duco) suos ingenij fructus ad omnem posteritatis memoriam conferunt, non parum laudis inde accessurum, mihi vero duplex commodum quoq; expectandum.

Primum quod in alma Academia Celsitudinis Tuę Tubinga & in tot celeberrimis Monasterijs Ducatus tui mihi multos, Reverendissimos & Clarissimos viros pietate, Eruditione, Sapientia, consilio & autoritate præstantes demereri queam, qui me in hac scrupulosa materia de Scrupulis Chronologorum amicè monere & melius informare possint, si præ humana imbecillitate alicubi hallucinantem animadvertant: Sicut Reverendissimi patres ac Domini, Dominus Bartholomeus Caseus, Prępositus Denkendorfensis, & Dominus Iohannes Mageirus Abbas Mulpronnensis (quos reverentiæ & honoris ergò nomino) iam aliquot veræ & Christianę benevolentiæ erga me signa exhibuerunt, meq; inter alios ad ęditionem horum librorum in communem Ecclesiæ Christi utilitatem adhortati, & suam operam, ubi eius usus sit, polliciti sunt: quorum exempla alios plures secuturos esse non dubito.

Deinde quod & Celsitudinis Tuæ & illorum insigni autoritate facile reprimentur, qui vel ex temeritate, vel ex invidia in aliorum labores

involare

involare, & multa, si non omnia reprehendere consueverunt, quorum rationes aut fines præ impotentia animi nunquam sunt assecuti.

Dominus noster Iesus Christus, unicus salvator totius mundi, Celsitudinem Tuam Ecclesię suæ & Ducatui tuo unà cum tota inclyta sua aula diutissimè salvam & incolumem conservet, id quod ex animo precor: & me cum exiguo & chartaceo munusculo meo Celsitudini Tuæ humiliter & officiosè commendo.

Spiræ Nemetum die 12. Maij, Anno partæ Salutis 1574. Quo die natus est Illustrissimus & Pijssimus princeps parens Celsitudinis Tuæ Dominus CHRISTOPHORVS Dux VVirtebergensis, verus, dum fata volebant Nutricius Ecclesię Filij Dei, & præcipuus Mecænas omnium liberalium & humaniorum studiorum, Anno 1515. Et proximo die sequente Landgravius Hassiæ Philippus profligavit hostiles copias ad oppidum Lauffenam, cum reduceret in Ducatum VVirtebergensem Celsitudinis Tuæ avum, Illustrissimum Ducem HVLDERICVM, Anno 1534.

Horum temporum, ut hic optimo omine mentionem fecerim, faxit Deus Pater Domini nostri IESV CHRISTI, unà cum filio suo coæterno & consubstantiali Domino nostro IESV CHRISTO, & Spiritu suo Sancto, qui est unicus & verus Deus in tribus distinctis Personis laudandus in secula seculorum. AMEN.

Tuæ Celsitudi: & Clementiæ

Addictissimus

Clemens Schubertus, Ecclesiastes Spirensis ad S. Augustinum.



TYPOGRAPVS LECTORI.

Ne chartæ hîc aliquæ vacarent, non præter decorum & morem me facturum putavi: si in gratiam Lectoris D. Iohannis Funccij Chronologi nostri temporis clarissimi iudicium de huiusmodi Historico & Chronologico studio, subijcerem.

HIstoriæ cognitio inter omnes artes, quibus honestatis nomen merito tribuitur, facile principatum obtinet, cum ex ea unica tot commoditates esse queant hominibus, quot ex artibus alijs ferè omnibus: his enim perceptis quis non modo fœlix ac honestus in hac vita dici potest, sed in illa quoque, quæ futura atque æterna creditur, longe fœlicissimus. Nam cum ad veram pietatem, quæ in Dei non ficto timore consistit, nihil nos æque moveat, quàm si crebra cum misericordiæ, tum iræ divinæ exempla ob oculos habeamus, quibus admoniti, quæ iusta sunt sequamur. Quis non ob id unicum bonum, si nullum esset aliud, Historias magna cum diligentia perscrutandas esse duxerit? Siquidem hæ solę sunt, quæ eiusmodi exempla tradant. Nam cum de Historijs dico tam sacras, quàm prophanas intelligo. Sicuti enim illæ inprimis docent, quibus humanum genus à Deo bonis gratuita miseratione sit donatum: & quomodo eos, qui hæc in pura fide agnoscentes custodierint, remuneravit Deus, atque istos, qui aut neglexerunt ea, aut per infidelitatem contemserunt omninò, punivit: Ita & has in hunc finem & legere & pernoscere debemus, ut utrumque ex ijs cognoscamus, utque nobis, quod ex usu sit, ab alijs exemplum sumamus.


At quamvis hoc maximum sit, quod ex historia ad mortales redeat: tamen adhuc aliæ non minus necessariæ Vtilitates ex ea nascuntur. Nempe, quod absque historia, quo in statu Ecclesia Dei fuerit, nunquam perfectè cognosci potest: cum tamen in omni vita homini Christiano eo nihil sit cognitu iucundius & utilius. Præterea, quod eius ductu difficilimos quosque sacræ scripturæ locos & prophetias intelligere possumus. Quis enim Regum libros, præsertim posteriores, omnibus in locis exacte interpretabitur, qui historiarum mundi sit ignarus. Quis plerasque Ezechielis Prophetias absque historiæ cognitione intelliget? Vidimus, quemadmodũ in ijs locis enodandis, & magni Ecclesię Doctores hallucinati sint, eò quod Chronica aut neglexerunt, aut nõ ut, decebat, investigarunt. Porrò quis Hieremiæ comminationes adversus regnum Babylonis, quod is Merodach vocat, absque diligenti & temporum & historiarum observatione rectè explicabit? Quis totam Danielis Prophetiam intelliget? quisve sciet, quid velint hebdomades 70. quas Angelus ad regnum Christi usque numerat? quis Esram? quis Nehemiam? quis Machabæorum librum? quis totum novi Testamenti contextum pro dignitate intelliget, nisi is, qui temporum eorum, de quibus hi libri loquuntur, non tantum seriem, sed & inprimis res gestas non ignorarit? Quis denique absque harum cognitione vel unicam in Apocalypsi Visionem rectè explicabit?


His

His adde, quàm sint hæc studia non dicam utilia, sed potius necessaria, ad confirmandas conscientias, aduersus insperatos Satanę insultus, qui cum alia via pios absterrere nequit, ut Deo diffidant, totum fundamentũ evellere conatur, suggerendo: Quid si Scriptura te seducat? Hac enim tentatione (Deus novit quòd non mentior) me, ut onus in Chronologia fabricanda susciperem, inprimis vel invitum compulit. Nam cumprimum ad Theologiæ studium animum appulissem, confestim me aggressus est huiusmodi solicitare versutijs, nempe sacras scripturas in historijs mundi, quæ tamen à prudentissimis omnium seculorum viris conscriptæ sint, nullum omnino habere testimonium, ideo certitudinem earum vacillare. Atq; huiusmodi technas confirmare conabatur maximè temporum διαφωνίᾳ. Nam cum scripturæ ijs cum historijs, quo ad tempora, non convenirent (ut primo aspectu videbantur) vanam esse fiduciam arguebat, quæ tamen nicertis niteretur &c.

Quid igitur in tali negocio magis erat exoptandum, quàm ut Diabolum in his quoq; suis fraudibus, ut in cœteris, mendacem deprehendere queas? Quod equidem sola diligenti Historiarum & temporum observatione fieri potest. Nam si hæc diligenter perscrutatus fueris, reperies scripturam sacram tam firma ex historijs alijs habere testimonia, ut aut certius aut verius inveniri possit nihil. Quicquid enim eadem scriptura ad hunc diem usq; futurum esse prædixit, id sic accidisse, & tempora & res ipsæ contestantur. Atq; ut alia præteream (nimis enim longum foret omnia hoc loco exequi) unicam Danielis Prophetiam consideremus. Quid is de regnis Persarum, Græcorum in Asia, Syria & Ægypto, deq; populo Iudaico vaticinatus est, quod non ad verbum, testantibus tum Historijs, quàm rebus ipsis, esset completum? ita, ut plane, cum Historia cognita id vaticinium lego, ipsas ipsorum regum &c. res gestas ob oculos mihi positas habere videar. Nonne septuaginta illæ eiusdem vatis Hebdomades, ex solis Historijs certissimè inveniuntur? Et cætera quæ sequuntur.

*





PIO ET CANDIDO
LECTORI
DAVID CHYTRAEVS.

PROPRIVM Ecclesiæ Dei decus & ornamentum singulare est, quod præ cunctis gentibus aliis, chronologiam seu seriem Annorū à prima origine mundi & generis humani continuam & certam in Historiæ sacræ monumentis traditam sola conservavit. Nam ut verissimè Iulius Africanus apud Eusebium libro XI. præpar: Euangel: inquit. Quicquid apud Græcos, vel alias gentes vetustatis laude excellit, id omne longo intervallo Moysen sequitur.

Longissimam temporum seriem retrò numerare existimati sunt Babylonij artifices Astronomi, ex motuum cœlestium diuturnis et perpetuis obseruationibus multis seculis diligenter & accuratè consignatam. Quare capta per Alexandrum Babylone, Aristoteles, cum Callisthenem carissimum sibi discipulum apud Alexandrum haberet, rogavit eum, ut diligentissimè à Babylonicæ antiquitatis peritis, Astrorum observationes, & Regum primæ illius & antiquissimæ Monarchiæ successiones & annorum numerum inquireret. Is quascunque nancisci potuit Babyloniorum antiquitates καὶ τηρήσεις ἀστρονομικὰς in Græciam transmisit. Quas, mille nongentos & tres annos non excessisse Simplicius quodam in loco testatur. Capta est autem Babylon, Olymp: 112. anno mundi 3634. Subductis igitur 1903 annis, regrediendo ad annum ab initio mundi 1731. & tempora Nimrodi peruenimus, qui Babylonē, quæ à cofusione linguarum nomen habet condidit, & ibidem, ut Berosus tradit, regnare cœpit, Anno Mundi 1788. Anno post Diluvium 131. Et congruit Ctesiæ Historia, qui à regni Assyriorum initio usque ad Sardanapalum 1360. annos numerat. Hinc Ecclesiæ Chronologiam annis ferè 2000 Babylonicam et Assyriam, antiquitate superare apparet, Cæterarum verò gentium Chronologiæ omnes multò recentiores sunt.

Ptolemæus ἐποχὴν seu radicem mediorum motuum (quam æram vulgò nominant) antiquissimam exorditur à primo anno Nabonassari Regis Assyriorum, qui in urbis Romę initia incidit: à quo ad Alexandri mortem ipse numerat annos 424. & inde 294 ad Augusti Cæsaris sub quo Christus natus est, Monarchię initia, cum Antonium & Cleopatram ad Actium vicisset. Quare annis 3216. hæc Ptolemæi æra sacræ Historiæ principium sequitur.

Nec vero Græci ullam temporum computationem, & anniorum distinctionem certam, ante suas Olympiadas habent, Quæ anno mundi 3188. anno vicesimo quarto ante Romam conditam primum inchoantur. Etsi enim in poematis Græcis de rebus paulò antiquioribus, de

bello Troiano, expeditione Argonautica, dè Perseo, Hercule, Oedipo, Theseo etc: narrationes quædam extant quas Ovidius in suo Chronico plerasq; complexus est: tamen verè, ut Africanus inquit, omnia plena sunt confusionis & dissonantiæ, & certa annorum distinctione carent. Nec de toto illo intermedio 400 annorum tempore, quod inter excidium Troiæ & Olympiadem primam interiectum est quidquam ἀξιόλογον in Græcorum monumentis proditum est.

Nulla certè apud Græcos, HERODOTI Historia antiquior series annorum, & rerum gestarum certa & continua extat. At is annorum seriem certam à Gyge Lydorum rege, qui annis 170 Croesum à Cyro Persarum rege captum, antecessit, & ferè eodem tempore cum Manasse rege Iuda regnare cœpit, anno Mundi 3248. inchoat. Tot annis sacræ Historiæ initium Ethnicam antecedit. Et si enim in Euterpe, ab AEgyptijs sacerdotibus, undecies mille trecentos & quadraginta annos recenseri ait, & in hoc tanto spacio annorum, quater solem ortus sui locum mutasse, & bis ortum esse, ubi nunc occidit, & bis descendisse, ubi nunc oritur: tamen hæc fabulosa somnia esse, omnibus apparet, non minus quam illas in Critia Platonis narrationes de bello ante 9000 annorum gesto inter urbem Atticam, & incolas amplissimæ insulæ Athlantidis, quæ extra columnas Herculis in Oceano sita, Africam totam magnitudine superet. Vnde tamen haud absurdè coniiciat aliquis obscuram famam de quarta parte orbis, multis postea seculis ignota, quam Americam hodie seu Novam Terram & Peru nominant, ad Græcos etiam Platonis temporibus emanasse.

Nihil iam de Chronologiæ Romanæ initijs, quæ annis 750 tantum Christi natalem antecedunt: aut de Saracenorum Hegra, quæ in Iustiniani Cæsaris tempora incidit dicam. Satis enim constat, propriū Ecclesiæ.

Dei κειμήλιον esse Chronologiam certam & perpetuam ab initio mundi certa & continua annorum serie deductam.

Singulari autem consilio & im̄ensa bonitate DEVS, ANNI curriculum ordinavit, & temporum, dierum, mensium & annorum discrimina cònstituit, & continuam annorum mundi seriem in Ecclesia conservauit. Quia vult intelligi discrimen inter æternitatem & huius mundi tempora, vult sciri nihil æternum esse nisi Deum patrem, filium & Spiritum Sanctum. Totum vero hoc pulcherrimum mundi domicilium, & rerum naturæ theatrum, nec casu extitisse, ut Epicurei, nec semper fuisse, ut Aristoteles disputavit, sed liberrimo consilio Dei conditum esse ante annos 5536. Tot enim anni numerantur retrò ad initium traditum in Moyse, ab hoc anno, qui est à natali Christi 1574.

Vult nos in Ecclesia scire Deus, quo ordine & quibus modis se patefecerit: quando Lex Dei, seu DECEM PRAECEPTA in monte Sinai promulgata sint? ante annos 3083. cum ab initio mundi ageretur annus 2453. Quibus temporibus Promissio de semine Christo, Humani generis servatore, in Paradiso revelata, deinceps repetita

tita & illustrata sit ad Abraham ante annos 3513 anno mundi 2023 ad patriarcham Iacob videntem scalam & Angelos Dei ascendentes & descendentes A. M. 2185. ad regem & Prophetam David anno mundi 2900. ante natum Christum 1062. Quando Filius Dei assumpta hominum natura visibiliter in mundo versaturus fuerit, & victima futurus, videlicet circa annum Mundi 4000. finitis septuaginta hebdomadis seu 490. annis à Daniele disertè predictis, denique quæ sit ultima ætas generationis humanæ, postquam Filius Dei se iterum generi humano in extremo iudicio ostendet & in Ecclesia resuscitata triumphabit. Consentaneum est enim non procul diem illum, pijs lætissimum, impijs vero tremendum abesse: cum & Monarchiæ à Daniele prædictæ, in quas mundi tempora Deus ipse distribuit, & quibus æternum regnum populi Sanctorum immediatè successurũ sit, iam dudum præterierint: & signa omnia à Christo, & Paulo 2. Thess: 2. prædicta, & in his Antichristi revelatio facta sit: Et totidem ferè anni à Christo ad Diluvium ignis, quot ab Adamo, qui fuit typus futuri ad diluvium Aquæ, effluxerint, deniq; sex millia annorũ, quibus duraturum esse mundum, Eliæ sententia ostendit, iam ad finem decurrant.

Has res, tantas ut in Ecclesia considerare & cognoscere possemus temporum intervalla & metas Deus, ordinatis motuum cœlestium solis ac Lunæ legibus, constituit, & seriem annorum certam in Ecclesia conservavit.

Nisi enim Anni curriculum & temporum distinctio, DEI & doctrinæ Astronomicæ beneficio nobis tradita esset, non cogitare exordia mundi & generis humani, non initia & propagationem Ecclesiæ, non discrimina religionum, quæ prima & antiquissima fuerit, quæ postea extiterint: non tempora & seriem divinarum patefactionum: non tempora adventus Christi in carnem & ad iudicium: non successiones & ordinem Monarchiarum & cæterorum Regnorum: non monumenta rerum in Ecclesia & imperijs mundi gestarum: Deniq; non vitæ nostræ spacia numerare & distinguere possemus. Quanta in omni vita barbaries, quanta omnium negotiorum, contractuum, pactorum, Iudiciorum, & totius communis vitæ confusio esset, si annorum & mensium discrimina essent sublata.

IN HISTORIARVM vero omnium, Ecclesiæ & Ethnicarum lectione, lumen singulare & velut OCVLVS est Chronologia, seu temporum cognitio & annorum series certa, quæ tanquam Cynosura lectorem, in Historiarum Pelago versantem regit, & adiuvat, ut expeditius ac certius, & maiori cum suavitate & fructu ad portum lectionis optatum perveniat, & universam mundi Historiam, & omnium temporum seriem ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν, ut Polybius loquitur, καὶ σωματοποιεῖν, uno intuitu complecti, & in unum velut corpus redactam, & certis articulis ceu membris distinctam, mente compræhendere & me-

moriæ infixam circumferre: ut quarumcunque insignium rerum ge-starum, vel mutationum generis humani, mentio fiat, statim ad quam temporum classem & articulum historia illa pertineat cogitare possit.

Facilius autem concipi & concludi animo corpus omnium historiarum & temporum mundi series potest, cum iuxta notissimum Eliæ dictum in tres partes seu membra præcipua eam distribuimus. Nam SEX MILLIA ANNORVM Vniversa mundi Historia complectitur.

Bis mille anni sunt ab exordio mundi usque ad Abraham.

Bis mille anni ab Abraham usque ad Christum.

Bis mille à Christo usque ad finem Mundi.

Primorum bis mille annorum Historia universa undecim primis capitibus Geneseos exponitur, verbis quidem paucis, sed res omnium maximas, omniumque cogitatione dignissimas & maximè necessarias, creationem & exordia mundi ac generis humani, institutionem Ecclesiæ & coniugij, lapsum & reparationem primorum hominum, causam calamitatum & mortis humanæ, Promissionem de Christo, veræ religionis originem & propagationem, ortus superstitionum, poenam Diluvij, originem & Stirpes omnium gentium à filijs Nohæ propagatarum, initia primæ Monarchiæ in Babylone, certum anni Solaris Spacium in Historia Nohæ, & numerum annorum inde usque ab initio &c. posteritatis memoriæ breviter & fidelissimè commendans.

Nec ulli de eo tempore Scriptores alij præter fragmenta quædam Berosi & Ctesiæ Cnidij in Diodoro Siculo & creationis ac diluvij mentionem multipliciter deprauatam, in Chronico Ovidij extant.

Secundum Tempus 2000 annorum ab Abraham usque ad Christum tres Monarchias & quartæ initium complectitur. Quarum prima Assyriorum & Chaldeorum à Nimrodo, annis 131. post diluvium cœpit, & circiter 1640 annos usque ad Cyrum & annum mundi 3431 duravit: in quibus series patrum ab Abraham usque ad exitum ex Aegypto, deinde Iudicum, Regum & Prophetarum, populi Iudaici usque ad excidium Ierosolymæ: & apud Ethnicos, res paulo ante & post bellum Troianum memorabiles, & urbis Romæ initia præcipuè consideranda sunt. Secunda Monarchia Persarum à Cyro usque ad Alexandrum Magnum ducentos annos continet, quorum Historia ab optimis authoribus, Herodoto, Diodoro Siculo, Thucydide, Xenophonte et Plutarcho luculentè descripta in decem regum Persicorum tempora distribui rectissimè potest.

Ecclesiæ autem illius temporis Historia ex Daniele, Esdra, Nehemia, Aggeo, Zacharia, libro Esther & Iosepho petenda est. Tertia GRAECORVM ab Alexandro Magno seu anno Mundi 3634 usque ad initium Augusti post interfectum Iulium Cæsarem in Senatu annos 288 comprehendit: In qua Alexandri & successorum illius, regum Syriæ, AEgypti & Macedoniæ, & Romanorum bella præcipua, in Diodoro Siculo, Iustino, Plutarcho, Livio, Polybio & Appiano: Iu-

daicæ

daicæ autē res in Iosepho & libris Maccabæorū descriptæ continentur.

Quarta ROMANORVM ab Augusto Cæsare paulo ante Christum natum cœpit, à quo series annorum & Cæsarum Romanorū nota est, sub quibus singulis, res in Ecclesia & Imperijs maximè memorabiles gestę, infixa menti serie & nominibus 70 Imperatorū ab Augusto usq; ad Carolū Magnum, & in de 44 Impp: Germanicorū usq; ad Maximilanum II. facilè cōprehendi animo & retineri firmius possunt.

Cum autem proprium Ecclesię Dei κειμήλιον sit series annorum certa inde usq; ab initio in solis sacris libris annotata & conservata: & ad cognoscendam Ecclesiæ antiquitatem, & res maximas in patefactionibus divinis Ecclesiæ revelatas, & univesæ Historiæ mundi, sacræ & Ethnicæ cognitionem, & plurima vitæ negotia in primis necessaria sit temporum notatio & distinctio ac series accurata: bene mereri de Ecclesia & Repub: & toto genere humano existimandi sunt, qui in illustranda Chronologia seu temporum & annorum ab initio Mundi ad nostram usq; ætatem deducta computatione industriam & fidem suam & voluntatem iuvandæ publicæ studiorum utilitatis cupidissimā declarant.

Etsi enim singulari Dei beneficio in Biblijs, certa annorum series à prima conditione rerum, usq; ad Persicæ Monarchiæ initium tradita est: tamen & in annis Regum Iuda & Israël conciliandis plurimum laboratur: & alioquin multas in Historijs numerorum notationes à sciolis depravatas esse, & in Persicæ Monarchiæ temporibus præcipuè omnia plena dissonantię inter Græcos & Metasthenem, Esdram, Philonem reperiri manifestum est.

Video autem Reverendum & doctissimum virum CLEMENTEM Schubertum Ecclesiæ Spirensis, quæ est ad S. Augustinum, pastorē, non modo in his Monarchiæ Persicæ temporibus Metasthenem, Philonē & Græcos, cum Biblicis Historijs, diligenter, eruditè & dextrè coagmentare: & in Regum Iuda & Israël annis concinnandis, operosam diligentiam adhibere: verum etiā ex universa Mundi historia, quatenus ex scriptoribus nota est, omnes, qui in temporum computatione incidunt, scrupulos eximere & evellere conatum esse.

Quare publico studiosorum nomine ipsi gratias ago, quod inter multiplices curas & molestias, quas docendæ & regendę Ecclesiæ ministeriū adfert, hunc magnum & utilissimum laborem Chronologiæ omnium Mundi temporum, certæ & indubitatæ, liquidò demonstrandæ, & totius Historiæ Ecclesiæ & Imperiorum Mundi illustrandæ suscepit. Id beneficiū omnes boni & studiosi grata mente & voce una mecum haud dubiè agnoscent, & laboribus ipsius grati fruentur. Bene et feliciter vale Candide lector. Rostochij, Die 28 Augusti, qua ante 1131 annos S. Augustinus episcopus Hipponensis de Ecclesia totius posteritatis optimè meritus, ex hac vita evocatus est. Anno 1574 æræ Christianæ: quam primus ex Imperatoribus Germanicis subscribere Epistolis ac diplomatibus Carolus Crassus cœpit: Cū Orientales Cęsares, recētis adhuc Cōcilij Basiliensis tempore, literis suis, annos à condito mundo iuxta Eusebia-

nam computationem, adiungerent, quæ in annis ante diluvium, & natum Abraham potissimum: aberrans iã annos 6083. Iudæi vero (tantum quatuor reges in Monarchia Persica recensentes) 5333 numerant, cum revera 5536 existant. Huius diversitatis Chronologiæ, annorum mundi causas & fontes veros cernere, & ex fundamentis perspicuis ac firmis dijudicare cum hi libri, quibus omnes Chronologorum scrupuli ex temporum computatione tolluntur, lectorem doceant: non dubium est diligentem eorum cognitionem studiosis mentibus gratã & iucundam fore.

Epigramma de Monarchijs,

Philippi Melanthonis.

ASpicis ut iaceant disiecti membra Colossi,
Quem Rex Chaldæa vidit in arce senex.
Stat tantum pars ima pedum ferroq; lutoq;
Mixta, statim rimis corruitura suis.
Delevere urbes Turci populosq; potentes,
Nec gens imperium sævior ulla tenet:
Sunt igitur Turci magnæ pars ferrea plantæ,
Et sunt infirmum cætera regna lutum.
Sed Lapis absq; manu celso de monte revulsus,
Mox aderit iudex filius ipse DEI.
Totius & plantæ delens ferrumq; lutumq;,
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergò Dei Gnato dedant se pectora nostra,
Ipsius & discant iussa verenda sequi.
O AOΓE Gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et flatu acendas pectora nostra tuo.

PIO



PRÆFATIO AD
AMICVM, ET CANDIDVM LECTOREM.

AMICE & candide Lector, cum libri, qui typis in publicum prodeunt, publici quoq; iuris fiant, ut cuilibet liberum ſit de ipſis iudicare, & hos meos libros de Scrupulis Chronologorum nunc æditos eadem ſors maneat, nec ipſemet eruditorum & in hiſtorijs expertiſſimorum virorum iudicia fugiam, ſed potius expetam, Rogo tamen peramanter ne iudices ante tempus, aut ex invidia, ſed mihi hoc unicum tribuas, ut tanto tempore eoſdem prius legas & relegas, nimirum bene longo, quanto mihi in his elaborandis & abſolvendis fuit deſudatũ: & utaris hac æquitate in iudicando, quę eſt ſumma legis & omnium Prophetarum, videlicet: E a quę vultis ut faciant vobis homines faciatis & ipſis.

Si autem videbor tibi alicubi errare (ut eſt omnibus hominibus commune labi, errare, decipi) amicè & candidè me admoneas quæſo, & ego Deo volente eodem modo tibi reſpondebo, ita ut vel agnoſcens erratũ gratias tibi ſim habiturus pro admonitione, vel ampliori declaratione tibi conſilium quod ſecutus fuerim exponam: ſcripſerunt iam ad me clariſſimi aliquot viri, quibus hos libros priusquam ederentur, inſpiciendos & diiudicandos dederam, mihiq; aliquot in locis ſuam ſententiam liberè aperuerunt, quibus peramanter reſpondi, idipſum erga te quoq; facere paratus, ſi eorum candorem fueris ſecutus. Hæ mutuæ ſcripſiones et collationes ſunt utiliſſimę, & multa dubia & cõtro verſa evolvunt & illuſtrant, atq; veritatẽ ipſam confirmant: Temeritas & calumnia ut optime conſtructa deſtruere ſolent, ita ingenuo & Chriſtiano homine ſunt indignæ.

Deinde amice & candide Lector, cum Gloria, ut dicitur, interdum premat veritatem, opprimere enim eam non poteſt, rogo quoq; peramanter ne illico offendaris, ubi animadverteris me inglorium equidem ſcriptorem aliquando à ſententia eorum recedere, qui ſuis ſcriptis iam longo tempore ſibi magnam gloriam et autoritatem pepererunt, ſi enim illi nusquã à veritatis ſcopo collimaſſent, nos in hac ſcrupuloſa temporũ confuſione non laboraremus, Agnoſcas potius beneficium Dei, qui veritatem temporis filiam tandem ex abſtruſiſſimis tenebris in apertam lucem reducere ſolet.

Magni ſunt authores in re Chronologica Philo, Ioſephus, Euſebius, omnes tamen (quod pace eorum dixerim) recedunt à vero calculo, qui eſt in ſerie annorum ab ædificatione templi Salomonis uſq; ad Deſtructionem eiuſdem: Philo habet annos 440. quem Euſebius duobus annis ſuperat, habet enim annos 442. At Ioſephus numerat annos 470. cum ſecundum verum calculũ non plures anni elapſi fuerint quã

427.


427. quod ex Propheta Ezechiele cap. 4. constat, & cum communi tra litione Iudæorum convenit, atq; ex quatuor libris Regum & duo bus Paralipomenon colligitur. Vide lib. 1. De Scrup. Chronol. cap. 5.6.7.8.9.10.

Mirati sunt aliquot boni & clarissimi viri, quod in Monarchia Persica constituerim duos Cyros, Medum & Persam coætaneos, & pu tarunt hoc esse contra Herodotum, sed cum Herodotus in narratione de obitu Cyri dissentiat à Xenophõte, facile intelligi potest duos Cyros fuisse, unum qui à Tomyri regina Massagetharum occisus fuit, alterum qui placidè obijt in complexu liberorum suorum, quos ante obitum sa lutaribus præceptis de gubernatione regni & alijs virtutibus instruxit, Et quis alteruterq; fuerit ostendo lib. 2. cap. 15. & 21.

Vbi igitur incideris in locum alicuius autoris à supputatione no stra variantem, non illic abijcies aut condemnabis lucubrationes meas, sed prius rem diligenter considera, & reperies me nihil temerè mutasse, verum ipsum autorem à quo recessi alicubi sibi ipsi repugnare.

Xenophon lib. 2. Rerum Græcarum scribit Lysandrum vicisse Athenienses, ad Aegos flumen anno 25 belli Peloponnesiaci, post quam victoriam è vestigio muri Athenarum à Lysandro ad tybiarum cantum sunt diruti, & finem habuit bellum Peloponnesiacum: Alibi vero idem autor hoc bellum ultra 27. annos extendit: Circiter biennium igitur se cum ipse dissidet. Sic diligentissimi quidem scriptores sunt Pausanias & Diodorus Siculus, Sed si ubiq; numeros Pausaniæ sequi volueris, ali quoties tibi ipsi fies contrarius, & Diodori librum undecimum exacta temporum serie carere nemo Chronologorum non animadvertit. Hæc non reprehendendi studio propono, cum ipse aliorum reprehensionem à me amoliri cupiam, sed ideo ut consideres longe aliud esse annotare ali quot eventuum tempora, quàm seriem omnium temporum in unum re digere corpus, & concinna quadam harmonia inter se colligare.

Postremò & hoc optime lector te oro, ne tentes Chronologię meæ aut principium aut finem apponere. Nam cum vix multa & decies re petita lectione deprehendere poteris, quid ubiq; & cur hoc aut illud se cutus fuerim, facile per adaptationem principij aut finis totam harmo niam Chronologicam iterum turbare et dissolvere posses. Scio quid mo neam, ac rogo ut fidem adhibeas monenti. Hæc Chronologia tantum servit quatuor libris meis De Scrupulis Chronologorum: si Deus mi hi prorogaverit vitam, contexam ipsemet integram Chronologiam ab initio Mundi usq; ad nostra tempora, idq; hac forma & ratione ut nemi ni excutiatur è manibus, quicquid alij hac in re hucusq; magna cum lau de & utilitate præstiterunt, ac nihilominus tamen & mea non sine volu ptate & fructu legantur. Bene vale Amice, & Candide Lector.



DE SCRVPVLIS
CHRONOLOGORVM
LIBER PRIMVS.

Caput. I.



T series temporum ab initio Mundi usq; ad nostram ætatem uno quasi intuitu inspici & facilius animo comprehendi queat, subijciam secundum ordinem quatuor librorum, quos de Scrupulis Chronologorum Deo volente pertexere constitui, quatuor Tabulas generales suo quamq; loco, quæ summam totius negocij brevissimè ob oculos legentium proponant, ac sigillatim penes quã libet tabulam annotabo eos Scrupulos qui inciderint, & ostendam Deo volente quomodo ijdem sint eximendi, ne ipsa series ordinis à veteribus & nostri temporis præstantissimis autoribus sedulò concinnata alicubi hiet aut interrumpatur.

Prima Tabula sumpta est ex sacris Biblijs.

Secunda ex quatuor Monarchijs maximorum imperiorum orbis terrarum.

Tertia ex Olympiadibus Græcorum.

Quarta ex serie annorum ab urbe Roma condita.

Sed nunc ad primam Tabulam accingor, reliquas tres suo quamq; loco reservabo.

I. TABVLA ANNORVM MVNDI SVMPTA EX SACRIS Biblijs.

1656 A Condito Mundo ad Diluvium.
292 A Diluvio ad nativitatem Abrahæ.
75 Ad vocationem Abrahę ex CHAran, et traditam promissionem de semine benedicto.
430 Ad exitum ex AEgypto, & promulgationem legis in monte Sinai.
480 Ad ædificationem Templi Salomonis.
427 Ad destructionem eiusdem sub Nabuchodonosore rege Babyloniorum.
70 Captivitatis Babylonicæ.

75. Ad promulgationem Edicti de reædificatione urbis Hiero-solymæ, sive ad septuaginta Hebdomades Danielis.

490. Hebdomadum Danielis ad Messiam sive Christum occisum.

Ab his annis hebdomadum Danielis aufer annos à Nativitate Christi usque ad mortem ipsius, qui sunt triginta tres, Nam initio trigesimi quarti anni passus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Remanent igitur à promulgatione Edicti de reædificatione urbis Hierosolymæ usque ad Nativitatem filij Dei Domini nostri IESV Christi Anni 457.

Summa omnium Annorum ab initio Mundi usque ad Nativitatem Christi.	3962.
A Nativitate Christi usque ad annum præsentem.	1574.
Summa omnium Annorum ab initio Mundi usque ad præsentem annum.	5536.

In hac Tabula duo sunt Scrupuli, Primus est in serie annorum ab ædificatione Templi Salomonis usque ad destructionem eiusdem: secundus, est Intervallum temporis à fine captivitatis Babylonicæ usque ad promulgationem Edicti de reædificatione urbis Ierosolymæ, sive ad septuaginta hebdomades Danielis elapsi.

Reliqua per se sunt plana, nisi quod Eusebius secutus Græcos multum discrepat à veritate Ebraica in numero annorum à condito Mundo usque ad vocationem Abrahæ ex Charam: de qua discrepantia prius paucis dicam, postea duos illos Scrupulos huius primæ Tabulæ quoque excutiemus.

Caput II.

ANni 1656 à condito Mundo usque ad Diluvium, Item anni 367 à Diluvio usque ad vocationem Abrahæ certissima serie per tempora Patriarcharum deducti sunt Gen. 5. 7. 11. & 12.

Quod autem in vulgaribus Chronicis Eusebij & aliorum qui Eusebium secuti sunt numerus annorum multo maior est, id ex LXX interpretum Græca versione oritur, quam V. C. David Chytræus eò loci à librarijs depravatam esse scribit. sed adijciam Tabellam quæ hac de re extat in Enarratione ipsius Chytræi in Genesin cap. 5. ex qua omnis discrepantia huius supputationis liquidò apparet, & facile à quovis diiudicari potest.

Caput

DE SCRVPVLIS CHRONOLOGOR.

Caput. III.

TABELLA ANNORVM MVNDI VSQVE AD VOCATIONEM ABRAHAE EX CHARAN, IN QVA confertur Eusebij supputatio cum Ebraica veritate: collecta à Davide Chytræo.

ADam natus annos secundum Ebreos		Secundum LXX Interpretes (genuit)
	130.	330.
Seth	105.	205.
Enos	90.	190.
Cainan.	70.	170.
Malaleel.	65.	165.
Iared	162.	162.
Enoch.	65.	165.
Mathusalem.	187.	187.
Lamech	182.	188.
Noe	600.	600.

Summa annorum Mundi usq; ad sexcentesimum annum Noe, sive ad Diluvium. 1656 iuxta Ebreos, sed iuxta LXX 2362. Differentia est 709. annorum.

In Eusebio sunt anni 2242. usq; ad Diluvium, Nam in Latinis Biblijs ex LXX interpretatione conversis, Adam tantum habet 230, & Mathusalem 167. annos.

RESIDVVM TABELLAE.

Sem post diluvium anno secundum Ebreos.		Secundum LXX Interpretes (genuit)	
	2.	2.	
Arphaxad anno ætatis	35.	135.	Cainan. 130.
Sale, nam Cainan irrepsit Catalogo Gen. 5. neq; huc pertinet.	30.	130.	
Heber	34.	134.	
Phalech	30.	130.	
Regu.	32.	132.	
Saruch.	30.	130.	
Nachor.	29.	179.	
Thare	70.	70.	
Abraham.			

Summa annorum à Diluvio ad Nativitatem Abrahæ iuxta Ebreos 292. iuxta LXX. 1170.

In Eusebio sunt anni 942. omittit enim Cainan, quem numerant

LXX. etsi ad hanc Genealogiam non pertineat. Et Nachor patri Thare attribuit annos 79.

Porro à Nativitate Abrahæ usq; ad vocationem eius ex Charan sunt anni 75. Gen. 12.

Summa annorum à Diluvio ad vocationem Abrahæ ex Charan, Iuxta Ebreos 367. iuxta LXX 1245. iuxta Eusebium verò 1017.

Caput IIII.

ANni 430 à vocatione Abrahæ usq; ad Exitum filiorum Israel ex Ægypto, & promulgationem legis divinæ in monte Sinai expressè extant Exod. 12. Gal. 3.

Quemadmodum 3. Reg. 6. quoq; expressè numerantur 480 anni ab Exitu ex Ægypto usq; ad Templum Salomonis, nec est in hoc numero annorum ulla discrepantia inter Ebreos, LXX interpretes & Eusebium. Recentiores Iudei quinquennio minorem numerum habent, sed eorum error iam diu à multis est explosus, & collatus ad sequentes duas tabellas per se facile evanescit.

I. TABVLA.

ANNI A VOCATIONE ABRAHAE VSQVE AD EXITVM ISRAElitarum ex AEgypto.

A vocatione Abrahæ ad natum Isaac	25.	Gen. 21.
Iacob	60.	Gen. 25.
Ioseph.	91.	
Ætas Ioseph	110.	Gen. 50.
Ad Nativitatem Mose	64.	
Ad Exitum ex Ægypto	80.	Exod. 7. Act. 7.

Summa 430 à vocatione Abrahæ usq; ad exitum ex AEgypto Exod. 12. Gal. 3. Anno Mundi 2453.

Tempus igitur habitationis filiorum Israel in Ægypto non erit numerandum à Descensu Iacob in Ægyptum, sed à prima migratione Abrahæ cum ex Charan egressus promissionē accepit & mox in Ægyptum profectus est, Melanthon. Plura lege apud Funccium.

Cæterum anni ætatis Iacob quando genuit Ioseph ita reperiuntur.

Ioseph exaltatur in Ægypto natus annos	30.	Gen. 41.
Ænni fertiles.	7.	
Anni famis.	2.	Gen. 45.

Anno

Anno famis tertio descendit Iacob in Ægyptum ac supervixit ibidem annis 17. Gen. 47.
Obijt autem patriarcha Iacob agens annum ætatis 147. cum Ioseph ageret annum ætatis 56. Iam subtrahe ætatem Ioseph ab annis Iacob, remanent anni 91. qui sunt tempus ætatis Iacob quando genuit Ioseph.

Anni à morte Ioseph ad natum Mosen nec plures nec pauciores esse possunt quàm 64. ut constet numerus annorum 430. quod est tempus habitationis filiorum Israel in Ægypto, & (ut LXX addunt) in terra Canaan.

II. TABVLA.

ANNI AB EXITV FILIORVM ISRAEL EX AEGYPTO AD Templum Salomonis.

Moses regit populum Israel annis	40.	Exod. 16.
Iosue & Othoniel annis	40.	Iudic. 3.
Aioth.	80.	
Debora.	40.	Iudic. 5.
Gedeon.	40.	Iudic. 8.
Abimelech	3.	Iudic. 9.
Thola	23.	
Iair	22.	Iudic. 10.
Interreg num	18.	
Iephte	6.	
Abessan.	7.	Iudic. 12.
Ahialon.	10.	
Abdon	8.	
Samson	20.	Iudic. 16.
Heli	40.	1. Reg. 4.
Samuel & Saul	40.	Act. 13.
David	40.	3. Reg. 2.

Summa annorum 480 Ab Exitu Filiorum Israel ex AEgypto ad Templum Salomonis 3. Reg. 6. Anno Mundi 2933.

Non ignoro aliter ab alijs numerari annos Iudicum, sed hæc Tabella proximè accedit ad sacram scripturam, ut loci in margine adiecti testantur. Quod verò in Actis Apostolorum cap. 13. à Iosue ad Samuelem 450. anni numerantur, indubitatè credendum est σφάλμα γραφικὸν, id est errorem vicio librariorum introductum esse, ideoq; discrepantiam ferè centum annorum incidisse. Lege Lutherum & Cumanum Flinspachium in confirmatione Chronologiæ suæ, cap. 4.

Caput V.

DE PRIMO SCRVPVLO CHRONOLOGORVM, QVI EST IN SERIE ANNORVM AB AEDIFICATIONE Templi Salomonis, usq; ad destructionem eiusdem.

NVnc venio ad primum Scrupulum, qui est in serie annorum ab ędificatione Templi Salomonis, usq; ad destructionem eiusdem: De hoc tempore maximum est dissidium inter omnes Chronologos, adeo ut tot sint sententiæ, quot capita, velut Comicus inquit. Philo ab ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem eiusdem numerat annos 440. quem Eusebius duobus annis superat, habet enim 442. Iosephus 470. Phrygio 414. Funccius, qui quã proximè ad scopum veritatis collinavit, habet ãnos 422. alias aliorũ opiniones prudens omitto.

Sunt autem secundũ veram supputationem à prędicta ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem eiusdem anni nec plus nec minus quam 427. ut Rabi Abraham Magister Cabalæ scribit, & illud ipsum se à maioribus accepisse testatur. Et hunc verum esse numerum, Deo volente ostendam duabus tabellis sequentibus, quibus unà series regum IVDA & ISRAEL ex limpidissimo fonte sacræ scripturæ excerpta, omnium oculis contemplanda proponitur.

Antequam autem huius temporis tabellas subiungamus, observandæ sunt prius aliquot regulæ, sine quibus ne ullius quidem regni tempus rectè annotari, nec ipsa veritas investigari potest.

REGVLAE ALIQVOT CHRONOLOGICAE IN ANNOTANDA VERA SERIE REGVM IVDA & ISRAEL diligentissimè observandæ.

1. Ad habendum verum Tempus ab Ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem eiusdem, non debet seorsim numerari series regum IVDA aut regum ISRÆL, sed mutua collatio utrorunq; regum invicem est instituenda.
2. Plerunq; fit, ut anni regũ ultimi non sint completi, sed quidam vix aliquot mensibus censeantur, quidam verò vix sint inchoati, inde accidit ut finis regni præcedentis regis, & initium regni subsequentis regis in unum eundemq; annum incidant.
3. Interdum accidit ut pater bello externo occupatus interea domi filium regem designet: Etsi autem postea pater ex bello redeat, nihilominus tamen ab ea designatione anni regni filij numerantur.
4. Quandoq; etiam fit, ut pater senio aut morbo confectus imperium filio tradat, Hi anni, etiamsi pater adhuc maneat superstes, etiam regno filij annumerantur. Observandum tamen & hoc est, Annos

parentum

parentum quoq; numerari ab initio imperij usq; ad obitum ipsorum, sive ratione belli externi, sive propter senium aut morbnm tradiderint liberis regni habenas. Opus igitur est accurata animadversione, quo tempore patres soli, quove tempore unà cum liberis ad gubernacula regnorum sederint.

5. Fit quoq; ut patre rege mortuo, cum filius præ infantia, aut alijs de caussis regno præesse nequeat, id ei per proceres regni administretur tam diu, donec adolescat, ut sit idoneus ad illud ipsum gubernandum. Anni vero interim elapsi, per quos regnum ab alijs est administratum, deinde regi ipsi ascribuntur.

6. Contigit præterea non rarò ut regnum Iuda aut Israel, potissimum autem Israel Tyrannis fuerit divexatum, id tempus nonnunquam Tyrannis, nonnunquam verò succedentibus legitimis regibus attribuitur: si vero nec his nec illis attributum legitur, interregnum est, & ex collatione annorum regum IVDA cum Israel, & econtra absq; omni dubitatione colligi potest.

Hæ regulæ diligenter per libros regum observatæ, iustum tempus ab ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem illius ostendent. Ac ne quis insignis error in numero annorum, qui comprehenduntur in libris regum, oriretur, Deus ipse certum eorum numerum complexus est, cum ab initio regni Ieroboam (à quo iniquitas Israel cæpit) usq; ad Iudeæ vastationem trecentos nonaginta annos fore dicit. Ezechiel. 4. Nam si addideris his 390 annis, 37 annos Salomonis, quibus ante regnum Ieroboam Templum condi cœptum est, habebis annos 427 verum Tempus ab ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem eiusdem, quod nos probare intendimus.

Maximus usus est harum regularum, & clarissimam lucem adferunt Chronologiæ omnium temporum, ut etiam exempla sequentium duarum tabellarum testabuntur.

Vide Funccium Lib. 1. Commentat. Chronologiæ suæ.

Caput VI.

TABELLA REGVM IVDA.

SAlomon filius Davidis rex Iuda anno quarto regni sui cœpit condere Templum Domini in Ierusalem, Inde regnavit adhuc annis. 36.

Roboam,	17.				
Abia.	3				
Asa.	41.	cum patre Abia	1.	Solus	40.
Iosaphat.	25.	cum patre Asa	1.	Solus	24.
Ioram	13.	Primum regnavit cum patre Iosaphat annis			

annis. 5. ab eo tempore, quo pater se parat ad bellum Syriacum, secundo cum pater pugnaret contra Moab & Ammon designatus sive magis confirmatus est successor regni, & ab eo tempore regnavit cum patre annis quatuor. Solus regnavit tantum annis 4.

Ochosias cum patre Ioram	1				
Athalia	7				
Ioas	40	cum Athalia	1.	Solus	39
Amazias	29	cum patre Ioas	3	Solus	26
Interregnum	11				
Azarias sive Ozias	52				
Iotham	16.				
Achaz	16	cum patre Iotham	1.	Solus	15.
Ezechias	29	cum patre Achaz	2.	Solus	27.
Manasse	55				
Amon	2				
Iosias	31				
Ioachan meus. 3.					
Eliachim qui & Ioachim	11.				
Ioathim, qui & Iechonias meus. 3.					
Mathanias qui & Zedechias	11.				

Iam collige annos quibus quisque regum IVDA solus regnavit, erit Summa annorum ab ædificatione Templi Salomonis usque ad destructionem eiusdem. 427.

Caput VII.

TABELLA REGVM ISRAEL.

ETsi antea ex cap. 4. Ezechielis Prophetæ, & ex serie regum IVDA sibi invicem certo ordine succedentium satis demonstratum est, quàm diu steterit Templum Salomonis, tamen addendam hic quoque censeo tabellam singulorum regum Israel, ut mutua collatio horum regum cum regibus IVDA rectè institui, & tempus durationis Templi Salomonis hinc quoque confirmari possit.

Ab anno quarto regni Salomonis ad IEROBOAM Primum regem Israel sunt anni 37.

IEROBOAM filius Nabath de tribu Ephraim primus rex decem tribuum Israel regnavit annis 22

Nadab cum patre Ieroboam	2.			Solus	0.
Baasa	24	cum Ieroboam	1	Solus	23.

Hela

Hela	2.	cum Baaſa 1.	Solus.1.
Zambri diebus 7.			
Interregnum annis	3.		
Amri	12.		
Achab.	22.	cum patre Amri 5.	Solus.17.
Ochoſias	2	cum patre Achab.	Solus.o.
Ioram	12.	cum Achab 2.	Solus.10.
Iehu.	28.		
Ioachaz	17.		
Ioas.	16.	cum patre Ioachaz 3.	Solus.13.
Ieroboam.	41.	cum patre Ioas 1.	Solus.40.
Interregnum	22.		
Zacharias meus. 6. qui pro anno 1. numerantur.			
Sellum meus. 1.			
Manahen.	10.		
Interregnum	1.		
Phaceia	2.		
Phacee.	20.		
Interregnum	7.		
Ozee.	9.		

Anno nono Ozee regis Iſrael, qui congruit cum ſexto anno Ezechię regis IVDA, capta eſt Samaria, & regnum Iſrael deſtructum eſt, cum ſtetiſſet annis 258. ſunt autem ab ædificatione templi Salomonis uſq; ad captam Samariam anni 295. à capta Samaria uſq; ad deſtructionem templi 132. ut ex ſerie regum Iuda conſtat.

Summa annorum ab ædificatione Templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem. 427.

Caput VIII.

IN collatione regum IVDA & Iſrael tria problemata extant apud Lutherum digna obſervatione.

1. Ioram rex Iſrael cœpit regnare anno 18 Ioſaphat regis IVDA. 4. Reg. 3. Et anno 2 Ioram filij Ioſaphat. 4. Reg. 1. Quomodo 18. annus Ioſaphat & 2. Ioram filij ipſius pro uno eodemq; anno cenſentur?

2. Ioram rex Iuda cœpit regnare anno 5 Ioram regis Iſrael. 4. Reg. 8. Quomodo poteſt idem annus eſſe ſimul 2 Ioram Regis IVDA, & primus Ioram regis Iſrael, & deniq; ſimul quintus eiuſdem?

3. Ochoſias rex Iuda cœpit regnare 12 anno Ioram regis Iſrael. 4.Reg.8.
Quomodo & hoc cum ſuperioribus cohæret?

RESPONSIO AD PRIMVM PROBLEMA.

Cum Ioſaphat rex IVDA anno 17 regni ſui unà cum Achab rege Iſrael iturus eſſet ad bellum Syriacum deſignavit in abſentia ſua regẽ filium Ioram. 3.Reg.22. Ita 18 annus Ioſaphat, & 2. Ioram filij ipſius pro uno eodemq; anno cenſentur.

RESPONSIO AD SECVNDVM PROBLEMA.

Quomodo 18 annus Ioſaphat,& 2 Ioram filij ipſius pro uno cenſeantur,atq; ſic congruant cum primo anno Ioram regis Iſrael iam dictũ eſt: nunc oſtendemus quomodo primus annus Ioram regis Iuda cum 5 Ioram regis Iſrael conferatur.

Sopito bello Syriaco Ioſaphat rex IVDA anno 22 regni ſui pugnaturus contra Moab & Ammon iterum deſignavit regem filium Ioram. 4.Reg.3. Et ab hoc tempore regnavit Ioram rex Iuda annis octo, 4 cum patre, 4 ſolus. 4.Reg.8.

Iam cum Ioram Iſrael cœperit regnare anno 18 Ioſaphat congruit annus. 5. regni ipſius cum 22 anno regni Ioſaphat , atq; ita quoq; cum primo anno Ioram regis Iuda, cum ſecundo deſignatus, ſive magis confirmatus eſſet ſucceſſor regni, patre abeunte ad Moabiticum bellum.

Cave ne ſecundum problema cum primo miſceas.

RESPONSIO AD TERTIVM PROBLEMA.

A tempore Moabitici belli regnavit Ioram rex IVDA annis octo atq; ultimo anno regni conſortem habuit filium Ochoſiam , ideoq; annus octavus Ioram regis IVDA, & annus unus ,quo Ochoſias filius ipſius regnavit in unum eundemq; annum incidunt. Cum igitur, ut in reſponſione ad ſecundum problema demonſtratum eſt, annus 1 Ioram regis Iuda à tempore belli Moabitici,& annus 5 Ioram regis Iſrael invicem conveniant, neceſſe eſt, iuxta analogiam, quam vulgo proportionalitatem vocant , ut quoq; conveniant annus 8 Ioram IVDA,& annus 12 Ioram Iſrael, quo tempore Ochoſias regnare cœpit. 4.Reg.8. Quod vero 4. Reg.9. ſcribitur Ochoſiam regem Iuda regnare cœpiſſe anno 11 Ioram regis Iſrael, id de fine undecimi,& de principio duodecimi anni intelligatur. Ex ſolutione itaq; horum problematum apparet uſus regularum, de quibus ſupra.

FIGV-

FIGVRA RESOLVTIONIS TRIVM PROBLEMATVM LVTHERI.

Anni Mundi 3045 3050 3057

* *

Ioſaphat rex IVDA 1. 2. 3. &c. 17 18 19 20 21 22 23 24 25.
regnauit annis 25. 3. Reg. 22.

Ioram filius Ioſaphat primum deſignatur rex IVDA *patre abeunte ad bellum Syriacum* 3. Reg. 22.
*
1 2 3 4 5

Ioram F. Ioſaphat iterũ deſignatur & confirmatur rex IVDA *patre abeunte ad bellum Moabiticum.* 4. Reg. 3. *Ab hoc tempore regnauit Ioram Iudæ annis octo.* 4. Reg. 8.
* *
1 2 3 4 5 6 7 8.

Ochoſias *rex* IVDA *cæpit regnare anno* 12. *Ioram regis Iſrael* 4. Reg. 8.

Ioram filius Achab rex Iſrael, cœpit regnare anno 2. *Ioram regis Iudæ.* 4. Reg. 1. & 18. *Ioſaphat patris illius.* 4. Reg. 3.
* * *
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12.

Caput IX.

QVoniam quidem prolixius, quam fortaſſe erat opus , explicavimus primum Scrupulum Chronologicum, qui fuit in ſerie annorum ab ædificatione Templi Salomonis uſqꝫ ad eius deſtructionem: & oſtendimus verum tempus præciſè eſſe annorum 427. facilè iam deprehendi poteſt, qui & ubi & quot annis tam cecentiores quam veteres autores à ſcopo veritatis declinaverint.

Verum cum nequaquam inſtituam reprehenſionem aliorum ſed multo magis hoc quæram, ut ex conciliatione tam recentiorum quàm veterum ſcriptorum (præcipuè autem ſacræ ſcripturæ, Philonis & Metaſthenis cum Græcis & Latinis hiſtoricis) nobis conſtet indubitata ſeries omnium annorum mundi uſqꝫ ad noſtra tempora : relictis varijs aliorum opinionibus tantum Philonis & Funccij ſententiã in hoc Scrupulo examinabo, ut minus intento lectori declarem , ubi alteruterqꝫ horum diligentiſſimorum virorum, à vera ſerie temporis exorbitaverit, & ubi viciſſim redierit in viam.

Caput X.

PHilo ab ædificatione Templi Salomonis uſqꝫ ad deſtructionẽ eiuſdem numerat annos 440 hoc modo:

A quarto anno Salomonis usq; ad Ioas regem IVDA Supputantur anni octo & triginta supra centum.

A Ioas vero ad spontaneam transmigrationem Ioachim (qui & Iechonias) anni sunt ducenti nonaginta unus.

Porro à transmigratione ad desolationem anni sunt undecim.

Summa annorum. 440.

At iuxta nostrum Calculum.

A quarto anno Salomonis usq; ad Ioas regem IVDA supputantur anni triginta & unus supra centum.

A Ioas vero usq; ad spontaneam transmigrationem Ioachim (qui & Iechonias) anni sunt ducenti octuaginta quinq;.

Porro à transmigratione ad desolationem anni sunt undecim.

Summa annorum, 427.

Supersunt igitur Philoni supra verum numerum anni decem & tres, quos postea finita captivitate Babylonica necesse est interseri in Monarchia Persica, ut pontifices & Duces qui populo Iudaico tum temporis præfuerunt cum regibus Medorum & Persarum secundum sacram scripturam, Metasthenem & ipsum Philonem ritè coaptari possint.

Caput XI.

POrro Funccio numeranti ab Ædificatione Templi Salomonis usq; ad destructionem eiusdem annos 422 deficiunt anni quinq;, ij resarciuntur quoq; in Monarchia Persica: Nam ubi Funccius Cyro primo regi Persarum tribuit annos octo, quibus eum post devictum Labynitum Babyloniorum regem usq; ad Cambysem filium regnasse scribit, Ibi nos ostendemus id intervallum tres annos non excedere. Sed hac de re infra lib. 2. De Scrupul. Chronolo. Cap. 6. & 19.

Caput. XII.

NVnc sequuntur ordine in Tabula annorum Mundi sumpta ex sacris Biblijs septuaginta anni Captivitatis Babylonicæ, quod tempus cum omnium sit certissimum, tamen quia ab aliquibus in dubium vocatur, ascribam huc sententiam Funccij, qua & nostra supputatio firmissimè corroboratur, & contrariæ opiniones in universum convelluntur.

Rixantur, inquit, hoc loco Chronologi quot annis desolatio urbis Ierosolymæ sive Captivitas Babylonica duraverit, ac inter primos est Eusebius, qui Captivitatem hanc post conflagrationem Templi Salomonis

monis tantum triginta annis ad primum annum Cyri Persæ perseveras-se affirmat: quia vero hæc assertio citra omnium controversiam divinis repugnat oraculis, ad confirmandam sententiam nostram, qua Captivitatem Babylonicam septuaginta annorum fuisse asserimus, ex sacris biblijs & Iudeorum historicis testimonia quædam huc adducemus, quibus cognitis, cuivis facile erit de hoc negocio iudicare.

1. 2. Paral. 36. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntqꝫ murum Ierusalem, ut compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata sua, Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum, usqꝫ dum complerentur septuaginta anni.

2. Ieremi. 25. Et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, cumqꝫ impleri fuerint septuaginta anni, visitabo super regē Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum.

3. Ierem. 29. Hæc dicit Dominus: cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.

4. Daniel Propheta cap. 9. testatur se anno primo regni Darij intellexisse numerum septuaginta annorum Captivitatis esse completum, ideoqꝫ versa ad Deum facie oravit pro liberatione populi.

5. Iosephus Antiquit. lib. 11. cap. 1. inquit. Primo anno regni Cyri, qui fuit Captivitatis nostræ Babylonicæ septuagesimus, miseratus est Deus Captivitatem & calamitatem ærumnosi populi sui, & sicut maioribus nostris per Ieremiam Prophetam ante dirutam urbē prædixerat, quod postquam servierint Nabuchodonosori eiusqꝫ posteris per annos septuaginta, rursum eos restituturus esset in Patriam, & ædificato templo redituri essent ad pristinam felicitatem, ita eis omnia præstitit.

6. Idem quoqꝫ testatur Philo in breviario, ut vocant, ubi inquit, Mox liberato Neri datus est à Deo filius Mesezebel cognomento Salatiel, qui anno decimo septimo ante solutionem Captivitatis Barachiam genuit, atqꝫ is soluta Captivitate dux populi fuit, & ab eo ducatu dictus Zorobabel, āno à transmigratione octogesimo, & à desolatione septuagesimo.

Probat tamen Eusebius suam computationem ex loco Zachariæ cap. 1. ubi angelus secundo anno Darij, ad quem Eusebius finem Captivitatis Babylonicæ referre nititur, ait. Domine exercituum, usqꝫ quo tu non misereberis Ierusalem & urbium IVDA, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est? Sed hic locus, si verè examinatur, ante dictis nihil omnino repugnat, neqꝫ sententiam Eusebij supra recitatam confirmat. Est enim interrogatio vehementi affectu expressa, quasi diceret angelus, promisisti populo huic, post septuagesimum annum Captivitatis summam felicitatem & urbis sanctæ tuæ reparationem. Ecce septuagesimus iste annus iamdudum adest, quando itaqꝫ satisfacies promissis tuis?

Sunt præterea qui incipiant hos septuaginta annos à transmigra-

tione Ioachim qui eſt Iechonias, ſed hos palàm arguit ultimum caput libri ſecundi Paralipomenon, quod incipit iſtos annos à deſolatione templi & urbis, ac dicit terram cunctis diebus deſolationis Sabbatum egiſſe, uſq; dum complerentur ſeptuaginta anni.

Ex his quoq; Iudæi cum ſuo Sedar Olam, & quinquaginta duobus captivitatis Babylonicæ annis ſatis confunduntur. Hæc Funccius.

Caput XIII.

HActenus Funccij demonſtrationes de ſeptuaginta annis Captivitatis Babylonicæ recenſuimus: nunc ex Philone eundem numerũ annorum ordine proponemus, qui numerus quoq; in Sedar Olam minori, hoc eſt Chronologia Iudæorum rectè annotatus eſt, modo is locus cum iudicio legatur.

TABELLA PHILONIS, DE SEPTVAGINTA ANNIS CAPTIVITATIS Babylonicæ.

A deſolatione urbis Ieruſalem uſq; ad Carceres Ioachin ſunt anni viginti.


Sex annis ſequentibus æditus & decantatus eſt pro Salute & liberatione Ioachim Pſalmus 87. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamavi & nocte coram te.

In fine ſeptimi anni Evilmerodach eductum Ioachim de Carcere in honore habuit, eumq; populus Neri Cognominavit, quod lucerna David, quæ timebatur extincta, iterum illuxiſſet, & æditus eſt Pſalmus 88. Miſericordias Domini in æternum Cantabo, ad gratiarum actionẽ pro liberatione ipſius Ioachim, & pro conſervatione gentis Iudaicæ atq; celeriore miſſione Meſſiæ.

Mox liberato Neri datus eſt à Deo filius Meſezebel cognomento Salatiel, qui anno decimo ſeptimo ante ſolutionem Captivitatis genuit Barachiam, atq; is ſoluta Captivitate Dux populi fuit, & ab eo ducatu dictus eſt Zorobabel, anno à transmigratione octogeſimo primo, & à deſolatione ſeptuageſimo.

Ex hac tabella ſequitur Salatiel cum vixiſſet annis 26 genuiſſe Zorobabel, nam hic numerus ſuperioribus annis additus facit ſummam annorum Captivitatis Babylonicæ ſeptuaginta.

Caput



Caput XIIII.

IDem numerus in Sedar Olam minori comprehenditur, Nam Zorobabel dicitur ſtetiſſe, hoc eſt ortus eſſe quinquageſimo ſecundo anno deſolationis Templi Salomonis, & ſeptuageſimo anno regni Babylonici, quod verum eſt, ſi initium regni Babylonici accipias à Nabuchodonoſore Magno. Nam iuxta Metaſthenem Nabuchodonoſor Magnus regnavit annis 45. Ante Captivitatem & deſolationem Ieruſalem novendecim, poſt captivitatem viginti uſq; ad carceres Ioachim, ſex dum Ioachim in carcere detentus fuit.

Nabuchodonoſori Magno ſucceſſit Euilmerodach qui regnavit annis 30. Huius anno primo in fine exaltatus eſt Ioachim, qui mox genuit Salatiel. Salatiel autem cum vixiſſet annis 26 genuit Zorobabel. Atq; hic eſt 52 annus à deſolatione & 70 regni Babylonis. Inde poſt decem & ſeptem annos, nimirum anno decimo octavo ætatis ſuæ Zorobabel Dux populi Iudaici factus eſt, quod tempus ſuperioribus 52 annis additum quoq; conſtituit ſummam annorum ſeptuaginta Babylonicæ Captivitatis.

Caput XV.

DE SECVNDO SCRVPVLO CHRONOLOGORVM, QVOD EST INTERVALLVM A FINE Captivitatis Babylonicæ, uſq; ad promulgationem Edicti de reædificatione urbis Hieroſolymæ, ſive ad LXX Hebdomades Danielis.

HIc Scrupulus oritur ex priore, quo enim plus aut minus annorum attributum fuit Templo Salomonis, eo plus minuſve diminuerunt vel auxerunt hoc intervallum Chronologi, ut ſeptuaginta hebdomades Danielis continua ſerie ad occiſionē Meſſiæ pertingerent.

Cum autem iuxta noſtram ſupputationem illud tempus ſit annorum 427. quod ſubſequuntur anni ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ, neceſſe eſt ut hoc intervuallum à fine Captivitatis Babylonicę uſq; ad promulgationem Edicti de reædificatione Hieroſolymæ, ſive ad L X X hebdomades Danielis ſit annorum 75. cum propter ſeriem hebdomadum Danielis uſq; ad occiſionem Meſſiæ, tum propter certiſſimam collationem annorum mundi cum ſerie Monarchiarum & annis Olympiadum atq; ab urbe Roma condita, de quibus omnibus ſuo loco uberius dicemus. Nunc ex ſerie regum Perſicorum, ſive potius Medorum hoc intrevallum eruemus.

Caput

Caput XVI.

ANno primo Darij filij Ahasueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, Propheta Daniel memor promissionum Dei, intellexit ex Prophetia Ieremiæ, liberationem populi Iudaici ex captivitate Babylonica iam imminere, completis septuaginta annis à desolatione Hierosolymæ urbis.

Gavisus ergo de instanti liberatione populi sui ardentibus votis ad Deum oravit, ne moraretur hanc liberationem diutius differre.

Danieli vero de tempore liberationis ita cogitanti & obsecranti, longè maior revelatio facta est, nimirum de Intervallo annorum usq; ad Christum Messiam, qui totum genus humanum sua nativitate liberavit de Diabolica potestate.

Septuaginta enim (inquit ad ipsum angelus Gabriel) adhuc hebdomades à Deo præfinitæ sunt usq; ad Christum ducem, scito autem eas numerandas esse ab Exitu sermonis ut iterum ædificetur Hierosolyma: Hæc expresse leguntur Daniel. 9.

Porro 2. Esd. 2. legimus hunc sermonem ut iterum ædificaretur urbs Hierosolyma tandem exijsse anno vicesimo Artaxerxis Longimani regis Persarum. Intervallum igitur temporis à primo anno Darij Medi usq; ad vicesimum Artaxerxis Longimani, quod est annorum 75. verum est tempus à fine Captivitatis Babylonicæ usq; ad LXX hebdomades Danielis.

Hoc intervallum ex serie regum Medorum eruitur hoc modo.

Darius Medus cum Cyro fratre regnavit annis 36. initio sumpto ab eo tempore quo Cyrus Persa nepos eorum ex sorore Captivitati Babylonicæ finem fecit.

Priscus Artaxerxes Ahasuerus annis 20.

Adde annos 19. Artaxerxis Longimani usq; ad promulgationem Edicti ut reædificaretur Hierosolyma.

Summa annorum à fine Captivitatis Babylonicæ usq; ad promulgationem Edicti de reædificatione urbis Hierosolymæ sive ad LXX hebdomades Danielis, anni 75.

Caput. XVII.

DE LXX HEBDOMADIBVS DANIELIS.

PErvenimus ad ultimum membrum primæ tabulæ annorum Mundi ex sacris Biblijs sumptæ, quod est de LXX Hebdomadibus Danielis: Cumq; priora membra omnia aptissimo ordine sibi invi-

cem

cem cohæreāt, de hac posteriore parte nemo dubitare merito potest: quin imò si antecedentia omnia maximè dubię fidei essent, tamen de LXX hebdomadibus Danielis omnes omnium temporum Chronologi, unanimi consensu statuerunt, eas continua serie usq; ad occisionem Messiæ numerandas esse, ubicunq; tandem inchoarentur.

Sed initium & finis earum aptissimè cum nostra supputatione quadrat, & suffragatur nobis mirum in modum concinna omnium temporum harmonia, ut re ipsa sibi testimonium perhibebit.

Cum Propheta Daniel longa illa & valde pathetica oratione quæ extat Daniel.9. ardenter apud Deum obsecraret pro liberatione populi sui, ut dictum est, ecce volavit ad ipsum angelus Gabriel tempore sacrificij vespertini: illius deinde adventu, non solum certior factus est de liberatione, sed insuper novam revelationem accepit de intervallo annorum qui restarent usq; ad Christum Messiam. His enim verbis angelus eum alloquitur.

> Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iusticia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte AB EXITV SERMONIS, VT ITERVM AEDIFICETVR HIERVSALEM, usq; ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas OCCIDETVR Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo ABOMINATIO DESOLATIONIS, & usq; ad Consummationem & finem perseverabit desolatio.

In hoc vaticinio primum nemini est dubium hebdomadas hic esse intelligendas annorum hebdomadas, non dierum. Nam septuaginta hebdomadæ dierum non faciunt nisi unum annum & quatuor menses, quo spacio temporis satis constat nec ædificationem Hierosolymæ fuisse absolutam, nec populum universum adhuc reductum. Sunt igitur duplices hebdomadæ, alię dierum, aliæ annorum. Sic Levit. 25 hebdomadum annorum mentio fit: Numerabis tibi, inquit Dominus ad Mosen, septē hebdomadas annorum, idest septies septem, quę simul faciunt annos quadraginta novem, sanctificabisq; annum quinquagesimum, ipse est enim Iubileus.

Et Gellius lib.3. cap. 10. similiter de hebdomadibus annorum loquitur, ubi ex M. Varrone locum de vi numeri septenarij tractat: Addit, inquiens, M. Varro se iam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse, hoc est ad eum diem quo ingressus est annum ætatis 84 (tot enim annos constituunt duodecim hebdomades) testatus est se conscripsisse libros 490 iuxta numerum hebdomadum septuaginta.

Necesse est igitur & hic intelligi hebdomadas non dierum sed an-

norum, atq; numerandos esse annos 490 ab Exitu sermonis ut reædificaretur Hierusalem usq; ad occisionem Christi Ducis.

Secundò, Etsi Beda & alij quidam has LXX hebdomadas per annos lunares numerare præsumserint, tamen consensus totius sacræ scripturæ & doctissimorum quorumq; autoritas atq; sententia hoc obtinet, non alios nisi solares annos ab angelo determinari. Nostri etiam Iudæi adhuc hodie suum annum secundum Solis revolutionem in scripta referunt, lunaribus autem annis & mensibus tantummodo ad festorum observationes utuntur.

Tertiò, Apud omnes constat has LXX hebdomadas in tres classes dividendas esse. In primis septem hebdomadibus reædificatur urbs Hierosolyma. Deinde sequuntur hebdomades sexaginta duæ, quibus tertio loco adhuc una, nimirum septuagesima & ultima additur, in cuius dimidio Christus multis pactum confirmat, quod accidit cum anno trigesimo à Iohanne baptizatus novum Testamentum, ad quod lex & omnes Prophetæ respexerunt voce & opere inchoaret, & tandem morte sua obsignaret. Nam Tempus prædicationis & mortis CHRISTI aptè cum dimidio ultimæ hebdomadis congruit. Docuit enim annos tres, quibus coniungitur initium anni quarti, quo demum est occisus. Ita expletæ sunt septuaginta hebdomades Danielis in ipsa Passione Christi.

Quod autem angelus inquit, post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, sic intelligatur, ut septem hebdomades quibus reædificata est Hierusalem, & ultima hebdomas in cuius dimidio confirmatũ est multis pactum, unà includantur, totum enim hoc vaticinium ad septuaginta hebdomades est restringendum.

Quartò Dissipatio civitatis & sanctuarij non ad tempora Antiochi Epiphanis, sed ad ultimum Excidium urbis Hierosolymæ & postremam conflagrationem Templi sub Vespasiano & Tito Imperatoribus Romanorum referenda est.

Abominatio vero desolationis stans in loco sancto sive super alas, primum omnes impios cultus hostium Messiæ significat, qui circa finem LXX hebdomadum Danielis in Templo Dei ubi alatæ Cherubim positæ erant, cumulabantur. Deinde accesserunt statuæ, ut Caligulæ, qui se mandaverat adorari: ita tunc assiduè prophanabatur Templum: Hanc abominationem perpetua desolatio & vastitas gentis Iudaicæ secuta est, Huc referatur testimonium Christi Matth. 24.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant ut tollant aliquid de domo sua, & qui in agro non revertantur ut tollant vestes suas. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usq; modo, neq; fiet.

Hæc ad explicandum textum Danielis dicta sufficiant, uberiorem illius explanationem lege apud Funccium lib. 2. commentar: Chronologiæ

logiæ

logiæ ſuæ, nam eodem filo temporis has LXX hebdomades Danielis uſq; ad Chriſtum nobiſcum ducit.

Fuit tempore Hieronymi & Auguſtini ineptus Chronologus, qui Danielis Hebdomadas de adventu Chriſti futuro, non de præterito exponere audebat, ſed eius temeritas ab utroq; merito notata & reprehenſa eſt.

Caput XVIII.

VBI inchoandæ ſint hæ LXX hebdomades Danielis ſupra oſtendimus, nimirum à vigeſimo anno Artaxerxis Longimani, eo enim anno EXIIT SERMO VT REÆDIFICARETVR VRBS Hieroſolyma. 2. Eſd. 2. Et ab eo anno uſq; ad trigeſimum quartum annum ætatis Chriſti, quo à Iudæis occiſus eſt, præciſe ſunt anni 490. qui conſtituunt LXX hebdomades annorum Danielis.

Non autem ignoro alios inchoare eaſdem anno 4 Zedechiæ, alios illico poſt finitam Captivitatem Babylonicam ab eodem tempore quo angelus Danieli apparuit & hoc vaticinium ædidit: alij porro referunt initium earum ad ſecundum, alij ad ſeptimum annum Longimani: Sed hæc diverſitas partim oritur ex intervallo temporis ab ædificatione templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem non rectè annotato, partim ex confuſa ſerie regum Perſicorum. Vt autem illud intervallum ex diligenti collatione regum Iuda & Iſrael correctum eſt, ita ex Metaſthene veram ſeriem Monarchiæ Perſicæ poſtea dabimus, ad quam & conſequenter ad Monarchiam Græcorum & initium imperij Romanorum LXX hebdomades ſupradictæ ita accomodantur:

A vigeſimo anno Artaxeris Longimani uſq; ad finem Monarchiæ Perſicæ & initium regni Græcorum, quod incidit in ſeptimum annum Alexandri magni ſunt anni 127. Nam Artaxerxes Longimanus regnavit annis 55 ante promulgationem Edicti ut reædificaretur urbs Hieroſolyma 19 poſtea 36.
Darius Nothus 19
Magnus Artaxerxes Darius Mnemon 37
Artaxerxes Ochus 26
Arſes 4.
Darius Vltimus. 6. Summa 127.
Ad obitum Alexandri Magni anni. 5.
Ab obitu Alexandri Magni uſq; ad Auguſtum Románorum Imperatorem anni 282.
Anno 42 Auguſti Romanorum Imperàtoris natus eſt Chriſtus.
Adijce annos 34 à nativitate Chriſti uſq; ad Paſſionem ipſius, Erunt anni 490 Verum tempus LXX hebdomàdum Danielis.

Caput XIX.

TABELLA LXX HEBDOMADVM DANIELIS SVMPTA EX PHILONE ET IOsepho, ac ducta per seriem pontificum Iudaicorum.

ANno 20 Artaxerxis Longimani exijt sermo ut reædificaretur urbs Hierosolyma.

Anno 21 eiusdem Ioachim secundo Pontifex factus gessit Pontificatum annis 48. Philo lib. 2. Breviar.

Eliasib 21.

Ioada 24. Et totidem Ioatham usque ad finem Artaxerxis Ochi.

Iaddua ultimus sub Persis Pontifex annis 10.

Onias Priscus 27.

Simon Priscus. 13.

Eleazar. 20. Ad hunc Ptolomeus Philadelphus rex Ægypto legatos cum magnificis numeribus misit, ac postulavit sibi 72 Iudæos mitti, qui transferrent ex lingua Ebraica in Græcam scripta Mosis & Prophetarum, eos postea opere perfecto amplissimis donis ornatos domum misit cum mensa aurea Templo dicata et alijs ingentibus donis.

Manasses Seleuco Gallinico amicus 27.

Simon iustus honoratus à Magno Antiocho. 28.

Onias huius filius à Seleuco spoliatus Templo. 39.

Intervallum usque ad Iudam Machabæum annorum 11. quo tempore Iason & Menelaus & post illos Alcimus Pontificatum malis artibus à regibus Syriæ redemerunt, quem Iason gessit circiter annos tres, Menelaus circiter octo.

Mox secuti Asmonai simul cum Pontificatu etiam Ducatum à domo David surripuerunt.

Iudas Asmonai correptis armis contra Antiochum Epiphanem & filium eius Eupatorem atque Demetrium præfuit annis 5.

Ionathas eius frater. 19.

Simon ab Antiocho Sedete immunitate donatus, annis 8.

Iohannes Hyrcanus Priscus ex Asmonaim. 31.

Aristobulus. 1.

Ianneus Alexander. 27.

Eius uxor Alexandra. 9.

Vltimus Hyrcanus cum fratre Aristobulo 4 annis de pontificatu sive regno certat.

Hyrcanus solus præfuit annis. 22.

Antigonus Aristobuli filius annis 5.

Herodes

Herodes Magnus 33 usq; ad Christum natum.
A nativitate usq; ad Passionem eius sunt anni 34.
Summa omnium annorum 490.

SCHOLION.

Intervallum annorum undecim inter Oniam Simonis Iusti filium & Iudam Machabeum ex serie regum Syriacorum sumptum est, & iuxta eandem quoq; seriem Funccius Iudę Machabeo 6 annos, & Ionathę fratri ipsius 18 ascribit. Porro Iohanni Hyrcano Prisco tribuuntur à Philone tantum anni 26, cum secundum Iosephum regnaverit annis 31. Tertiò ultimus Hyrcanus apud Philonem hunc annos 34 & Herodes 30 usq; ad Christum natum, sive ad id tempus quo Herodes non solum infantes Bethlehemiticos, sed etiam proprium filium interfici iussit, quod diceretur iam in lege promissus CHRISTVS natus. cuius crudelitatis præter Mattheum Evangelistam etiam Philo & Iosephus meminerunt. Et Macrobius inter iocos Augusti etiam hunc commemorat, quod audita crudelitate Herodis, dixerit, Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.

Nos autem in Hyrcano & Herode Funccij numeros retinuimus, qui totidem annis constant. Rationem ordinis horum numerorum lege apud eundem lib. 4. Commentariorum Chronologiæ suæ.

Caput XX.

ALIA TABELLA LXX HEBDOMADVM DANIELIS SVMPTA EX PHILONE & Iosepho, ac ducta per seriem Ducum Iudaicorum.

AB anno 20 Artaxerxis Longimani, quo Exijt sermo ut reædificaretur Hierusalem, regnavit in populo Iudaico Resa Mesullam annis 61. nam ante Exitum huius sermonis regnavit annis 5.

Iohanna Ben Resa. 53.

Iudas primus cognomine Hyrcanus ultimus Dux sub Persis annis 14.

Iosephus primus	7.
Abner Semei.	11.
Ely Mathathias	12.
Asar Maat.	9.
Nagid Artaxad	16.
Aggai Ely.	8.
Maslot Naum.	7.

Amos Syrach. 14.
Mathathias Siloa. 10.
Iosephus iunior Aases honoratus à Ptolomæo 60.
Ianneus secundus Hyrcanus Vltimus Dux de domo David 16.
Summa annorum. 292.

Mox secuti Asmonai simul cum Ducatu etiam pontificatum obtinuerunt, Regnarunt autem usque ad Herodem alienigenam annis 131. Ab Herode ad Christum natum sunt anni 33: à nativitate Christi usque ad Passionem ipsius 34 ut ex præcedenti tabella constat. Iam collige omnes numeros huius tabellæ erit summa 490 annorum.

Caput XXI.

ETsi satis superque verum tempus LXX Hebdomadum Danielis ex præcedentibus tabellis elucescat, ut sperem candidum Lectorem nodum in scirpo amplius quæsiturum nõ esse, tamen quia multum interest Ecclesiæ hac de re quam plurimas easque certissimas apodixes extare, addemus auctuarij loco supputationem eiusdem temporis iuxta seriem Olympiadum, quibus Græci scriptores utuntur: Ita Ecclesia magis adhuc in veritate confirmabitur, & iucundum erit contemplari ut sacræ & prophanæ historiæ suavissima harmonia in serie temporum invicem concordent. Postmodo huic primæ Tabulæ annorum Mundi ex sacris Biblijs sumptæ Coronidem imponemus.

Ab anno quarto Olympiadis 80, cum quo congruit annus vigesimus Artaxerxis Longimani, usque ad annum tertium Olympiadis 112, quo Alexander Magnus victo Dario ultimo rege Persarum Monarchiam Græcam inchoavit, sunt anni 127.

Anno quarto Olympiadis 113 obijt Alexander Magnus, cum tenuisset Monarchiam annis. 5.

Anno tertio Olympiadis 184 cœpit regnare Augustus Romanorum Imperator, sunt igitur à primo anno Olympiadis 114, sive ab obitu Alexandri usque ad tertium annum Olympiadis 184 quo regnare cœpit Augustus anni 282.

Anno quarto Olympiadis 194 Natus est ex Maria virgine IESVS CHRISTVS Salvator Mundi. Sunt autem ab anno tertio Olympiadis 184 usque ad annum quartum Olympiadis 194 anni 42.

Summa Olympiadum ab Edicto Artaxerxis Longimani usque ad Nativitatem Christi 114. quæ faciunt annos 456.

Adijce adhuc Olympiades octo. Nam anno quarto Olympiadis 202 passus est Christus, quod Eusebius etiam ex Ethnicis scriptoribus probat, Erunt à quarto anno Olympiadis 194 usque ad ultimum annum Olympiadis 202 anni 33. quæ est ætas Christi usque ad Passionem eius,

quæ

quæ incidit in initium anni tricesimi quarti ætatis ipsius.

Summa omnium annorum ab Edicto ut reædificaretur Hierusalem, usq; ad Passionem Christi, secundum seriem Olympiadum 490. quod est tempus LXX Hebdomadum Danielis.

Quod autem annus Passionis Christi non ad annũ primum Olympiadis 203, ut analogia annorum mundi & ætatis Christi requirit, sed ad quartum annum Olympiadis præcedentis refertur, causa est, quod initium Olympiadum sumitur non à bruma sive solstitio hyberno, sed à solstitio æstivo mense Iunio. Etsi igitur eo anno quo inchoatur Olympias 303 passus est Christus, tamen initium eius Olympiadis ætate sua non attigit, siquidem passus est die 25 Martij, à quo tempore usq; ad Olympia ferè menses duo restant. Non igitur ad Olympiadem 203, sed ad annum quartum Olympiadis 202 passio Christi est referenda. Et sœpe fieri solet, ut quod factum est eo anno quo nova Olympias inchoatur, referendum sit in quartum annum Olympiadis veteris & elapsæ. Nam Olympicum certamen, ut dictum est, in mensem Iunium incidit & medium ferè annum dispescit, atq; ex uno anno quodammodo duos facit, quorum alter ad præcedentia alter ad sequentia Olympia collocari debet.

Porrò ab Anno Nativitatis Christi usq; ad præsentem annum 1574. nemini de summa merito dubitare licebit, quam si addideris summæ annorum à condito mundo usq; ad Christum elapsæ, habebis veram seriem ab initio annorum Mundi usq; ad nostra tempora elapsam & ex sacris Biblijs sumptam, quæ est 5536 annorum.



Finis libri primi de Scrupulis Chronologorum.
Deo Soli Laus honor & gloria in secula seculorum Amen.

DE



DE SCRVPVLIS
CHRONOLOGORVM
LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.



Actenus primã Tabulam annorũ Mundi sumptam ex sacris Biblijs absolvimus, & excussimus Deo iuvante duos potissimum scrupulos qui in eam inciderant: nunc sequitur secunda Tabula ex quatuor Monarchijs sumpta, de cuius Scrupulis antequam tractare instituamus, pauca præfabimur.

MONARCHIÆ Vocabulum latè patet, & generaliter quodcunq; regnum, Politiam sive gubernationem significat, in qua unus præest, & iuxta leges retinet disciplinam & pacem, In hac autem Tabula per Monarchias summa quatuor imperia orbis intelliguntur, quorum typus & numerus extat Daniel. 2.

Anno secundo Nabuchodonosor rex Babylonis vidit per somniũ statuam ingentem, cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia ex argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

Expergefactus rex cum non recordaretur somnij, & tamen valde conterritus esset spiritus eius, convocatis ariolis & divinatoribus mandat, ut quale fuisset somnium explicarent, nisi facerent capitis pœnam denunciat. Ea re cognita Daniel Propheta qui cũ reliquis fuerat captivus eò deductus Hierosolyma, nunciabat se posse regis desiderio satisfacere, productus incipit, & primo quidem quid somniarit ostendit, deinde quid sibi vellet somnium interpretatur: & statuam illam significare dicit quatuor orbis imperia summa, quæ sint ordine successura, & ad ipsum regem oratione conversa: Tu, inquit, quem summa potentia Deus ornavit atq; gloria, cui dedit imperium in omnes homines, & bestias agri volucresq; cœli, Tu nimirum es illius statuæ caput aureum, post te regnum aliud orietur argenteum videlicet, deterius quam sit hoc tuum, deinde tertium aliud æreum, quod longè lateq; dominabitur: regnum vero quartum erit ferreum, nam sicut ferrum comminuit & perdomat omnia, sic etiam quartum & postremum illud regnum reliqua omnia confringet, sibiq; subijciet. Hæ igitur sunt quatuor Monarchiæ per Danielem divinitus patefactæ, & à Poëtis, Hesiodo, Arato, Ovidio atq; alijs per quatuor ætates mundi, auream, argenteam, æneam atq; ferream depictæ, ac distribuuntur hoc modo.

Prima est Assyriorum & Babyloniorum, quæ & Chaldæorum.

Secunda Medorum & Perſarum, ſed quæ nunc vulgò tantum Perſarum cenſetur, tertia Græcorum.

Quarta & poſtrema Romanorum, in qua nunc adhuc verſamur, & quæ durabit uſq; ad finem Mundi.

De ruina harum Monarchiarum elegans Epigramma compoſitum extat à Philippo Melanthone, quòd huc transferre libuit.

Aſpicis ut iaceant diſiecti membra Coloſſi,
Qui Chaldæa olim viſus in arce fuit.
Stat tantum pars ima pedum ferroq; lutoq;
Mixta, ſtatim rimis corruitura ſuis.
Delevere urbes Turci populosq; potentes.
Sunt igitur ferrum, cætera regna lutum.
Sed lapis abſq; manu celſo de monte revulſus,
Mox aderit iudex filius ipſe Dei.
Totius & plantæ delens ferrumq; lutumq;
Regna dabit populo non peritura ſuo.

Depinguntur eædem quoq; alijs typis à Daniele, ſed quæ hactenus dicta ſunt ad propoſitum noſtrum ſufficere arbitramur.

Caput. I.

QVemadmodum in ſerie annorum Mundi ex ſacris Biblijs ſumpta, primum propoſita eſt Tabula quædam generalis, quæ poſtea in ſuas partes reſoluta non ſolum oſtendit Scrupulos qui inciderant in ipſam ſeriem temporum, ſed etiam modum præſcripſit, quo Scrupuli illi ita eximi poſſent, ne ordo temporum perturbaretur: Ita in ſerie annorum Mundi ex quatuor Monarchijs ſummorum imperiorum orbis ſumpta eadem via ingrediemur.

Primum igitur Tabulam generalem Monarchiarum proponemus, ſecundò, reſoluta eadem in ſuas partes, eiuſdem quoq; Scupulos ſuo quemq; loco excutiemus.

II TABVLA ANNORVM MVNDI EX QVATVOR MONARCHIIS SVMMOrum imperiorum orbis ſumpta.

1656. A Condito Mundo ad Diluvium,
250. A Diluvio ad Monarchiam Aſſyriorum, quæ inchoatur à Nino.
1234. Ad mortem Sardanapali,
290. A diviſione Monarchiæ Aſſyriorum ſub Arbace Medo & Belocho Babilonio facta uſq; ad Monarchiam Perſa-

rum,quæ inchoatur à Cyro Perſa poſtquam Babylonem urbem cepit.

203 Ad Monarchiam Græcorum,quæ inchoatur anno 7 Alexandri Magni poſtquam in Græcia regnare cœpiſſet.

5 Ad obitum Alexandri Magni,

277. Ad Monarchiam Romanorum quę inchoatur à Iulio Cęſare.

5. Ad obitum Iulij & initium Auguſti.

42. Ad Chriſtum natum.

Summa omnium annorum ab initio Mundi uſq; ad Nativitatem Chriſti 3962.
A Nativitate Chriſti uſq; ad præſentem annum 1574.
Summa omnium annorum ab initio Mundi uſq; ad præſentem annum 5536.

In hac Tabula quoq; duo ſunt Scrupuli.

Primus eſt in ſerie regum Medorum & Babyloniorum poſtquam Monarchia Aſſyriorum ſub Arbace Medo & Belocho Babylonio diviſa eſt.

Secundus eſt in Monarchia Perſica ubi poſt captam Babylonem à Cyro Perſa, alij reges à Metaſthene,alij à Græcis ſcriptoribus uſq; ad Darium Artaxerxem Longimanum in eadem Monarchia numerantur. Eſtq; hic unicus Scrupulus,qui omnęs omniũ ætatum Chronologos maximopere torſit,ac licet multi quaſi per tranſennam aliquid interdum animadverterint, quod ad hunc Scrupulum eximendum faciat,tamen nemo hactenus ſe ex hoc labyrintho ſatis potuit extricare.

Sed de his duobus Scrupulis ordine deinceps dicemus.

Caput II.

ANni 1656 à Condito Mundo uſq; ad Diluvium ex ſacris Biblijs noti ſunt.

Anni vero 250 à Diluvio ad Monarchiam Aſſyriorum,quę inchoatur à Nino,ſimiliter ex ſacris Biblijs eliciuntur hoc modo,

A Diluvio uſq; ad natum Abraham ſunt anni 292, ut ſupra libro primo,capite tertio demonſtratum eſt.

Natus autem eſt Abraham anno 43 Nini regis Aſſyriorum teſtante Euſebio,& conſentientibus omnibus Chronologis fide dignis.

Iam ab annis 292 aufer 42 annos quibus Ninus regnavit ante natum Abraham,remanent anni 250, quod eſt verum tempus à Diluvio uſq; ad Ninum regem Aſſyriorum.

De eodem tempore ita ſcribit Archilochus Græcus Chronographus, qui floruit Olympiade 29 circa annum Mundi 3300, Maſeas Phœnix Damaſcenus (inquit) libro 97 hiſtoriarum aſſerit, ante Ninum ferme ducentis quinquaginta annis fuiſſe inundationem terrarum,& quendam (cui teſtimonium perhibet Moſes antiquiſſimus hiſtoricus) libe-

ratum

ratum circa fluvium Araxim ad montes Caspios, tumq; recenti cœlo, & rudi humano genere viguisse auream vitam, in qua nullo ferente legem natura ipsa vivebatur, quousq; Ninus & Semiramis arma populis inferentes primi vitam vitiare cœperunt humanam. Tradunt igitur Chaldei uno & trigesimo atq; centesimo ab Ogyge anno regnasse apud se Saturnum avum Nini annis 56, primumq; Babyloniæ fundamenta iecisse. Hunc secutum fuisse Belum Iovem & rexisse Chaldæos & Assyrios usq; ad Ninum annis 62. Hæc ille, Collectis autem his annis iterũ prodit summa annorum à Diluvio usq; ad Ninum 250.

Eadem summa annorum extat apud Berosum & vetustissimos quosq; autores: Berosus lib. 4. de antiquitatibus regnorum totius orbis, & lib. 5. de regibus Babyloniæ.

Xenophon de Æquivocis, Fabius pictor de aureo seculo: Cato de Originibus, Metasthenes de iudicio temporum.

SCHOLION.

Ogyges, cuius hic mentio fit, est Noah, Porrò Saturni dicuntur familiarum nobilium regum, qui urbes condiderunt, antiquissimi, primogeniti eorum Ioves & Iunones, Hercules vero nepotes eorum fortissimi. Patres Saturnorum Cœli, vxores Rheæ & Cœlorum Vestæ, ut scribit Xenophon in Æquivocis.

Saturnus igitur Babylonicus est Nimrod, qui Babylonem condidit. Iupiter Babylonicus est Belus filius Nimrod, pater Nini primi regis Assyriorum.

Caput III.

ETsi summa annorum à Diluvio usq; ad Ninum primum regem Monarchiæ Assyriorum satis superq; elucidata est, tamen auctuarij vice addam adhuc Epitaphium Nini, in quo idẽ numerus quoq; comprehenditur, estq; idipsum, cùm propter historicam narrationem, tum propter antiquitatem venerandam perpetua memoria dignum.

EPITAPHIVM NINI REGIS ASSYRIORVM.

MIHI PATER BELVS, AVVS SATVRNVS BABYLONICVS, PROAVVS CHVS SATVRNVS ÆTHIOPS, ABAVVS SATVRNVS ÆGYPTIVS, ATAVVS COELVS PHOENIX OGYGES. AB OGYGE AD MEVM AVVM SOL ORBEM SVVM CIRCVMLVSTRAVIT SEMEL AC TRICIES ET CENTIES, AB AVO AD PATREM SEXTIES ET QVINQVAGIES, A PATRE AD ME BIS ET SEXAGIES.

De Saturno & Iove Babylonico antea est dictum. Chus Saturnus Æthiopicus est Chus filius Cham, à quo condita est gens Æthiopica, Saturnus Ægyptius est Cham filius Noah, Noah autem dicitur Cœlus Phœnix Ogyges. A Noah ad Nimrod Saturnum Babylonicum sunt anni 131: A Nimrod ad Belum Iovem Babylonicum 56; à Belo ad Ninum 62 Summa annorum 250.

Caput IIII.

DE PRIMA MONARCHIA QVAE EST ASSYRIORVM ET BABYLONIORVM.

A Nino usque ad mortem Sardanapali numerantur anni 1234, idque per continuam seriem regum sex & triginta, ordine sibi invicē succedentium.

Nomina regum & tempora quibus singuli imperarunt & res gestæ quæ non solum in Asia, sed etiam in Africa & Europa sub his regibus acciderunt, brevissime annotantur à Beroso Chaldæo & Manethone Ægyptio: Metasthenes vero Persa nuda serie brevique hac Tabella omnes reges Assyriorum comprehendit.

TABELLA METASTHENIS PERSAE DE SERIE REGVM ASSYRIORVM A NINO usque ad Sardanapalum.

Ninus qui primus Monarchiam inchoavit annis	52
Semiramis	42.
Zameis Ninias	38.
Arius.	30.
Aralius.	40.
Baleus cognomento Xerxes	30.
Armatrites.	38.
Belochus Priscus.	35.
Baleus iunior.	52.
Altadas.	32.
Mamitus.	30.
Mancaleus.	30.
Spherus.	20.
Mamelus.	30.
Sparetus.	40.
Ascatades.	40.
Amyntes	45.
Belochus iunior	25.

Belo-

Belopares	30.
Lamprides	32.
Sosares.	20.
Lampares	30.
Pannias.	45.
Sosarmus.	19.
Mytreus	27.
Tautanes.	32.
Teuteus.	40.
Tineus.	30.
Dercilus	40.
Eupales.	38.
Laosthenes.	45.
Pyrithiades.	30.
Ophrateus	20.
Ophraganeus	50.
Ascrazapes	42.
Tonosconcoleros quem Græci Sardanapalum vocant.	15.
Summa omnium annorum à Nino usque ad mortem Sardanapali	1234

Quod vero Eusebius & omnes qui ipsum secuti sunt à Nino usque ad Sardanapalum supputant annos 1240, & hunc Calculum sex annis excedunt, inde accidit, quia Sardanapalo attribuunt viginti annos completos, cum vix totos quindecim annos regnaverit. Nam anno 15 regni sui victus est à Phul Belocho & Arbace præfectis suis, qui deinde Monarchiam Assyriorum ita inter se partiti sunt, ut Belochus Babyloniam, cui addebatur Assyria, Arbaces vero Medos cum Persis regeret.

Porro quod Funccius Phul Belochum eodem anno in Assyria regnare cœpisse scribit, quo Procas Sylvius regnare cœpit apud Latinos, id verum esset, si Sardanapalus regnasset totos viginti annos, sed cum hoc non sit, nequit & illud de Proca Sylvio consistere. Et propter hunc errorem Funccius deinde coactus fuit multa in serie regum Assyriorum mutare, unde eò tandem devenit, ut optimum autorem Metasthenem, cum quo sibi parum conveniebat, omnino reijciendum, sed immeritò, putaret. Hac de re vide infra cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Caput. V.

OBiter hic excutienda quoque est sententia aliorum autorum de hoc tempore, quæ prima quidem fronte cum nostris numeris dissentire videtur, sed si diligenter rem introspexeris, in ipso recessu pulcherrimo consensu omnia inter se concordabunt.

Magnæ eſt autoritatis apud Chronographos Cteſias, qui fuit natione Græcus, cumq; duo fratres Artaxerxes Mnemon & Cyrus iunior de regno Perſico invicem dimicarent, fuit unà in exercitu Cyri tanquam medicus, captus autem inter alios & Babylonem traductus ibiq; liberaliter habitus, ſedulò legit & annotavit hiſtorias horum temporū.

Hic Cteſias ſcribit Monarchiam Aſſyriorum uſq; ad Medos, qui primi defecerunt, duraſſe annis 1360, Et hunc ſequuntur omnes recentiores ſcriptores, ut Diodorus Siculus, Agathias & alij.

Hos annos non à Nino, ſed à Saturno Babylonico inchoandos eſſe analogia temporum demonſtrat. Regnatum autem eſt ante Ninum à Saturno & Iove Babylonico annis 118, hos ſi adieceris annis 1234 (quibus à Nino uſq; ad Sardanapalum regnatum eſſe diximus) erit ſumma annorum 1352. Iam adijce adhuc quinq; annos, quos Græci ſcriptores Sardanapalo ſuperaddunt, provenient anni 1357: Deſunt igitur tres anni tantum, qui in tam magna ſumma propter completionem denarij numeri negliguntur.

Iuſtinus aliquanto longius à ſcopo veritatis receſſit, qui ſcribit Aſſyrios imperium annos 1300 tenuiſſe, ſed fortaſſe data opera pleno & rotundo Centenario numero in tam magna annorum ſumma uti voluit, ut res facilius memoriæ mandari & retineri poſſet.

Porrò quod Diodorus quoq; alium numerum ponit, inquiens Aſſyriorum imperium poſt annos mille quadringentos ad Medos tranſijſſe, oſtendit ibidem ſe annos Arbacis 28, & aliquot annos Soſarmi filij ipſius, nimirum 12 annumerare.

Caput VI.

DE PRIMO SCRVPVLO SECVNDAE TABVLAE ANNORVM MVNDI, QVI EST IN SERIE regum Medorum & Babyloniorum à morte Sardanapali uſq; ad Monarchiam Perſicam.

De hoc tempore maxima eſt diverſitas opinionum inter omnes pene autores, potiſſimum vero apud noſtros Chronographos: Oritur autem illa diverſitas ex ſerie annorum ab ædificatione Templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem: quo enim plus aut minus annorum attributum fuit Templo Salomonis, eo plus minuſve diminuerunt vel auxerunt hoc intervallum, ut exitus ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ad initium Monarchiæ Perſicæ quadraret, eaq; de re & ſupra lectorem admonuimus lib. 1. cap. 15.

Sed varias opiniones aliorū relinquentes nunc oſtendemus à diviſione Monarchiæ Aſſyriorū ſub Arbace Medo & Belocho Babylonio facta uſq; ad Monarchiam Perſarum nec plus nec minus quam 290 annos tranſijſſe, quem numerum in Tabula Monarchiarum poſuimus.

Primum

Primum autem tradam duas alias Tabellas ex probatiſſimis autoribus excerptas continentes Genealogiam regum Medorum & Babyloniorũ à morte Sardanapali ad Cyri Perſæ Monarchiam, Deinde eaſdem ſicubi opus fuerit brevi Scholio illuſtrabo, ita hic primus Scrupulus per ſeipſum facile excutietur & evaneſcet.

TABELLA REGVM MEDORVM EX METASTHENE ET HERODOTO COLLECTA.

ARBACES victo Sardanapalo, ac potitus Medorum imperio regnavit annos 28.

Mandanes	50.	Soſarmus	30.
Soſarmus.	30.	Medidus.	40.
Articarnim	50.	Cardiceas.	13.
Arbianes	22.	Deioces.	54.
Arceus.	40.	Phraortes.	24.
Artines	22.	Cyaxares.	40.
Aſtybarus cum Apanda filio	20.	Aſtyages.	35.
		Cyrus Perſa	26.
Apanda Solus.	30.	uſq; ad captam Babylonem.	

Summa annorum à victo Sardanapalo uſq; ad Monarchiam Perſicam. 290.

SCHOLION.

Ex hac Tabella primum apparet ab Arbace Medo duas familias Regum Medicorum derivatas eſſe, quorum illos qui à linea Mandanæ deſcendunt aliquando latè in Aſia regnaſſe Diodorus ſcribit. Hos vero qui à Soſarmo ad Aſtyagen uſq; regnavit conſtat in Media & Ecbatana regni ſedẽ habuiſſe, ſicut de Deioce Herodotus lib. 1. expreſſè inquit, Deioces ſolam Medicam ſubegit nationem, eiq; ſoli imperavit.

Deinde ex hac eadem Tabella apparet, etiam poſt devictum Aſtyagen titulum regni Medici apud poſteros Arbacis, qui à linea Mandanæ deſcenderunt, hæſiſſe, donec Darius & Cyrus Medi fratres ſublato Apanda hoc axioma imperij rurſus ad familiam Soſanni tranſtulerunt.

Priorum regum res geſtas breviter ex Cteſia annotavit Diodorus lib. 3. Sed poſteriorum hiſtoriæ, potiſſimum autem à Deioce uſq; ad captivitatem Aſtyagis luculenter deſcribuntur ab Herodoto lib. 1.

Porrò in ſerie poſteriorũ regum ab Arbace uſq; ad Cyaxarẽ retinui numeros Euſebij, in Cyaxare & Aſtyage ſecutus ſum Herodotũ. Cyro autẽ Perſæ omnino oportuit tribui annos 26 ante captã Babylonem, ut harmonia annorũ mundi, Monarchiarũ, Olympiadum atq; annorũ ab

urbe

urbe Roma condita sibi invicem pulcherrimè consonaret. Eusebius lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 3. ex vetustissimis autoribus initium regni Cyri in Persia post devictum Astyagen nobiscum ad Olympiadem 55 ponit. Inde usq; ad captam Babylonem & initium Monarchiæ Persicæ nec plus nec minus quam 26 anni numerantur.

TABELLA REGVM BABYLONIORVM EX METASTHENE.

Phulbelochus primus Rex Babyloniæ post Sardanapalum regnavit annis	48.
Teglat phul Assar	25.
Salmanassar	17.
Sennacherib	7.
Assaradon.	10.
Merodach.	52.
Ben Merodach.	21.
Nabuchodonosor primus	35.
Nabuchodonosor Magnus	45.
Amilinus Evilmerodach	30.
Filij Evilmerodach usq; ad Monarchiam Persicam	12.

SHOLION.

In hac Tabella redundant anni 12 super verum Tempus, quod est à Sardanapali interitu usq; ad Monarchiam Persicam, sunt enim anni 302 cum debebant non plures esse quam 290. Sed hic Scrupulus ita eximi potest, quod & ante nos Chronologicarum rerum diligentissimus indagator Iohannes Funccius ad eundem ferè modum deprehendit.

Cum Sennacherib rex Babyloniorum sive Assyriorū (nam hunc & antecessores eius tam in Assyria quàm Babylonia regnasse constat) bellum moliretur adversus Iudæam & Ægyptum anno regni sui quinto, Interea Merodach occupavit regnum Babylonicum, contra quem Sennacherib Assaradonem filium regem Babyloniorum in absentia sua designavit, ipse vero cum ingenti exercitu extra limites imperij profectus, ac spe potiundi totius orbis Monarchia etiam proprium regnum amisit. Hæc ita se habere manifestè colligitur ex lib. 4. Reg. cap. 19 & 20.

At cum Merodach rex Babylonis statim post adversum casum Sennacherib miserit dona Ezechiæ regi Iuda, non potuit tunc temporis Assaradon in Babylonia regnare, etsi titulum regni Babylonici usurpaverit. Sed regnavit tantum in Assyria sive Ninive 10 annos, tres cum patre, septem solus: Eximendum igitur est hoc decenniū ex serie regum Babylonicorum, aut dicamus oportet eundem totidem annis regnasse

cum Merodach,& sic remanebunt anni 292,

Duo autem anni qui adhuc superabundant quoq; eximendi sunt ex serie annorum Merodach, atq; ita summa annorum à Sardanapali interitu usq; ad Monarchiam Persicam iuxta præpositam tabulam quoq; præcisè est annorum 290. Nam Merodach perinde ut Assaradon hos duos annos & plus ultra vivente adhuc Sennacherib regnavit.

Caput VII.

ETsi in hoc opere sœpe atq; libenter usus sim adminiculo Iohannis Funccij, cum honorifica mentione diligentiæ ipsius in rebus Chronologicis, tamen hoc loco præterire non possum, quin vindicem ab accusatione illius Metasthenem, cui præter unicam mendam, quæ est in decennio Assaradonis tot insuper errores asscribit, ut totum autorem eam ob causam rejciendum putet. Sit sane erratum in annis Assaradonis, sed an culpa Metasthenis, an librariorum acciderit in dubio relinquimus: Verum quæ Funccius præterea pro erroribus colligit, ea pro erroribus non agnoscimus, quod ut benevolo lectori liquidius pateat, primũ verba Funccij recitabimus, deinde nostram sententiam subjciemus.

Caput. VIII.

PRimum, inquit, ex Ptolemeo & sacris literis certissimum esse convincitur, quod à Salmanassaris regni initio usq; ad Nabuchodonosorem Magnum non plures elapsi sint anni quam centum viginti duo.

Metasthenis vero traditio Viginti annis hunc numerum excedit, nam habet numerum centum quadraginta duorum annorum, id quod manifestè contra Ptolemei certissimam observationem, & contra sacræ scripturæ irreprehensibilem autoritatem repugnare cernitur.

RESPONSIO.

Certissimum est ex sacris literis quod à Salmanassaris regni initio usq; ad Nabuchodonosorem Magnum elapsi sint anni centum triginta duo, quem numerum reperies in nostra Chronologia: Hunc eundem numerum habet & Metasthenes si eximetur decennium Assaradonis, ut supra cap. 6 huius libri monui.

Ergo traditio Metasthenis non pugnat, sed aptè convenit cum irreprehensibili autoritate sacræ scripturæ.

Deinde quod ad Ptolemei obſervationem attinet, etſi in nominibus horum regum Babyloniorum à communi ſententia Chronologorum variat, ſicut & Ioſephus & Euſebius hac in parte alicubi ſibi non ſatis conſtant, tamen in numeris horum temporum quam proximè & Ptolemæus & Metaſthenes conſentiunt, ideoque numeros Ptolemei in margine Chronologiæ noſtræ quoque appoſueramus.

Caput IX.

SEcundò, in confeſſo eſt, inquit, quod ex ſcripturis ſacris à ſexto anno Ezechiæ (quo Samaria à Salmanaſſare capta eſt) uſque ad initium regni Nabuchodonoſoris Magni numerentur centum quindecim anni, hoc modo, Ezechias poſt captam Samariam regnavit annis 23,
Manaſſes 55
Amon. 2.
Ionas. 31.

Eliakim 4. In fine enim huius anni regnum accepit Nabuchodonoſor: Summa 115 annorum,

Porrò Ptolemæus ab initio regis Salmanaſſaris ad Nabuchodonoſorem Magnum computat annos centum viginti duos, à quibus ſi tempus poſt captam Samariam ſubtraxeris, videbis ſeptem annos reſiduos quibus Salmanaſſar ante regnavit. Cœterum Metaſthenes Salmanaſſarem regnaſſe dicit annis 17, poſtea ſucceſſiſſe Sennacheribum & imperaſſe annis 7, atque ſic Salmanaſſar deſijſſet anno 16 Ezechiæ. Sennacherib vero anno 23 eiuſdem, quod eſt contra locum 4. Reg. 18, & 19, ubi Sennacherib dicitur contra Ezechiam aſcendiſſe anno 14 regni Ezechiæ, & paulo poſt à proprijs filijs trucidatus eſſe.

RESPONSIO.

De ſumma annorum à capta Samaria uſque ad Nabuchodonoſorem Magnum nullum eſt dubium, verum quod Salmanaſſar tantum ſeptem annis ante captam Samariam regnaverit inde non ſequitur: Hoc autem conſtat eum quindecim annis ante & adhuc duobus poſt captam Samariam regnaſſe: Iuxta hunc calculum eandem ſummam annorum ex Metaſthene colligere licebit hoc modo.

Salmanaſſar poſt captam Samariam regnavit annis 2. Sennacherib annis 5. Nam ſexto anno movit bellũ cõtra Iudæos & Ægyptios, interea & Merodach arripuit imperium Babylonicum, atque ab hoc tempore regnavit annis 52, Aſſaradone tunc ſolis Aſſyrijs in Ninive imperante, ut dictum eſt ſupra: Merodacho ſucceſſit Ben Merodach qui regnavit annis 21, Nabuchodonoſor primus 35, ſumma annorum 115.

Cum

Cum igitur Salmanaſſar regnarit annis 17,& Sennacherib filius 7, deſijt Salmanaſſar regnare anno octavo Ezechiæ,& Sennacherib anno decimoquinto eiuſdem , quod optimè convenit cum ſacra ſcriptura 4.Reg.18,19.

Etſi autem hic calculus circiter duos annos à Ptolemei obſervatione variat,quòd ad initium regni Salmanaſſaris attinet , tamen numeros Ptolemei aliás cum noſtra Chronologia præclarè congruere ex allegatis authoritatibus diligens lector facilè animadvertet.

Quemadmodum autem non dubito Nabonaſſarem Ptolemæi eundem regem Aſſyriorum eſſe, qui in ſacra ſcriptura Salmanaſſar appellatur,tamen de principio regni eius ſubdubito. Ac ut omnino & cum Ptolemæo & Funccio noſtra Chronologia in hac harmonia temporum quoque congrueret conſtitui duo principia regni Salmanaſſaris, unum quo cum patre redeunte à bello Syriaco cœpit regnare & regnavit cum eodem annos duos. Nam Teglatphulaſſar aut eodem anno in Syria occubuit,quo Damaſcum vaſtavit & Razin regem eiuſdem interfecit,qua de re nullam mentionem ſacra ſcriptura facit,cum tamen paulo poſt prolixè commemoret triſtem cladem quam nepos illius Sennacherib in Iudea acceperit,aut adhuc duos circiter annos domum reverſus regnavit,ſed cum cõſorte imperij filio Salmanaſſare,id quod uſitatè in imperijs fieri ſolet, ut Regula 4 Chronologica ſupra libro primo tradita oſtendit. Hoc igitur primum initium regni Salmanaſſar convenit cum ſacra ſcriptura.

Alterum eſt quo poſt obitum patris eidem in regno ſucceſſit & regnavit ſolus annis 15, quod convenit cum numeris Ptolemæi.Eſtque intervallum unius tantum biennij inter utraque initia regni eiuſdem. Sed undecunque ſumſeris initium regni eius , tamen numeri Ptolemæi cum noſtra Chronologia congruunt,nec eſt neceſſe duos annos Teglatphulaſſar & totidem Nabuchodonoſor adimi contra Calculum Metaſthenis,quod facit Funccius.

Caput X.

TErtiò,ingens & intolerabilis error eſt,quod Metaſthenes inter regnum Phulbelochi (ſic enim vocare libet regnum novum Aſſyriorum poſt victum Sardanapalum) & inter regnum Merodachi (ut & ſic vocemus regnum novum Babyloniorum) nullam differentiam facit,cum id tum ex temporis computatione, tum vero ex ſacris literis præpicuum ſit,quod hæc duo regna ſucceſſu temporis & maximè circa cladem Sennacheribi in Iudæa acceptam diverſa facta fuerint,atque adeo Aſſyrium novum à Babylonio devoratum eſſe conſtet: Nam quod diverſa regna fuerint , quis ex his verbis non intelligit? cum Iere-

mias cap. 50 dicit, Grex dispersus Israel, Leones eiecerunt eum, primus comedit eum rex Assur, videlicet Phulbelochus, Teglatphulassar, Salmanassar, Sennacherib, iste novissimus, exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. Propterea hoc dicit Dominus exercituum Deus Israël, Ecce ego visitabo regem Babylonis & terram eius, sicut visitavi regem Assur.

RESPONSIO.

De divisione regni Assyriorum facta sub Phulbelocho Babylonio & Arbace Medo vide in Chronologia, constat autem ex sacra scriptura potentiam posterorum Phulbelochi valde crevisse, sicut priorum aliquot regum Medorum potentia magis magisq; est imminuta, adeo ut quosdam ex regibus Medorum beneficiarios (ut vocant) posterorum Phulbelochi fuisse verisimile sit: Nam Salmanassar nepos Phulbelochi capta Samaria transtulit Israël non tantum in Assyriam, sed etiam in civitates Medorum. 4.Reg.17. regnantibus tum in Media Sosarmo ex linea Mandanæ, & Medido ex linea Sosarmi utrisq; nepotibus Arbacis Medi, quod profecto Salmanassari non concessissent, nisi eum pro Domino superiore agnovissent. Cum igitur Arbaces Medus victo Sardanapalo Assyriorum rege ultimo urbem Niniven sive Ninum regni sedem solo evertisset & aurum argentumq; regium detulisset Ecbatanam Mediæ urbem, Phulbelochus & posteri eius iterum reædificarunt urbem Niniven in Assyria, atq; eò rursus regni sedem transtulerunt, ideoq; à Propheta Ieremia reges Assur nominantur, licet & in Babylonia imperitarent, fuitq; unus Monarcha in Assyria & Babylonia usq; ad Sennacheribum pronepotem Phulbelochi, sub quo divisa est hæc Monarchia, Assaradone filio Sennacheribi decem annis in Assyria, & totidem Merodach in Babylonia regnantibus.

Assaradone autem ex vivis sublato Merodach & posteritas ipsius iterum Assyriam cum Babylonia coniunxerunt, & axioma imperij ad Babylonios transtulerunt tanquam Assyriorum victores, eam ob caussam Nabuchodonosor Magnus qui Ierosolymam cepit, & Iudæos in captivitatem Babylonicam traduxit, rectè ab eodem Propheta rex Babylonis (utpote à Merodachi linea descendens) vocatur: nec opus est propter divisionem sub Assaradone & Merodacho ad decennium factam, ullam alteram divisionem inter Babylonium & Assyrium regnum constituere. Et de Assaradone ac de Merodacho libenter amplectimur ea quæ subijcit Funccius, atq; eadem quoq; attigimus supra cap. 6. nec ignoramus sub Nabuchodonosore primo & secundo magnam inclinationem rerum in Assyria factam, propter bella quæ Phreortes & Cyaxares reges Medorum illic gesserunt, quorum meminit Herodotus lib. 1. Sed hoc nihil ad propositum Funccij attinet. Nos omnes reges à Phulbelocho usq; ad Baltassarem, cuius meminit Prophe

ta

ta Daniel, reges Babyloniorum inſcripſimus, quod recepta conſuetudine Chronologorum reges Aſſyriorum in Sardanapalo finiantur, & monarchia prima tandem ſerie regum Babyloniorum claudatur. In ſacra tamen ſcriptura omnes poſteros Phulbelochi uſq; ad Aſſaradonem etiam reges Aſſyriorum dici nemini non conſtat. Daniel. 5.

Caput XI.

QVartò, hi errores Metaſthenis in regno Babylonico non ſolum ex ea parte, qua de Babylonijs agit, hiſtoriam eius infringunt, verum etiam totam illam regum Medorum ſeriem, totidem annis, quot Babyloniorum abundare, quavis luce clarius oſtendunt. Nam ſi tot annis à diviſa ſub Arbace Monarchia uſq; ad reunitam Monarchiã ſub Cyro in Media, quot annis ex parte Babylonis regnatum eſt, neceſſario ſequitur, ut ſi in uno pauciores anni, quam autor referat, certa ratione inveniantur, etiam in altero totidem annis minus ſit imperatum.

RESPONSIO.

Totidem annis à poſteris Arbacis in Media regnatum eſſe, quot annis poſteri Phulbelochi in Babylonia regnarunt, nimirum 290 à Sardanapali interitu uſq; ad captam Babylonem & victum Labynitum regem à Cyro Perſa, in Chronologia oculari demonſtratione oſtendimus: Sed & hoc meminerit lector, cum duæ familiæ regum Medorum ab Arbace deſcenderint, illam quæ per poſteros Soſarmi numeratur & in Aſtyagen deſinit hoc tempus non explere, nam Cyrus Perſa 26 annis ante Captam Babylonem victo Aſtyagi avo materno regium titulum ademit, ſunt igitur in una linea regum Medorum viginti ſex anni pauciores quam in ſerie regum Babyloniorum, ſed hi anni reſarciuntur ex altera linea quæ in Apandam deſinit. Filij vero Aſtyagis Cyaxares ſive Darius & Cyrus Medi occiſo hoc Apanda rege Medorum ex altera familia videlicet Mandanæ, tandem axioma imperij Cyro Perſa nepote ipſorum ex ſorore annuente iterum recuperarunt.

Quomodo autem regnatum ſit à Babylonijs & Medis poſt illos 26 annos dicetur infra in Monarchia Perſica.

Caput



Caput XII.

QVintò,lib. 4.Regum cap.17.manifestè dicitur,quod Salmanassar non tantum Babyloniis & Assyriis,verum etiam ipsius Mediæ regionibus imperavit, transtulit enim Israelitas ac posuit eos in civitates Medorum, quod utique ab eo non esset factum,neque à Medis æquo animo acceptum,si non ad imperium eius pertinuissent: Sed Metasthenes Medorum regnum à destructa Sardanapali Monarchia usque ad Cyrum Persam semper propriis regibus esse administratum affirmat,quod cum adversus scripturam esse videretur,neque etiam tempora cum aliis convenirent,consultò eam traditionem neglexímus. Ad hęc videbatur nobis Eusebiana traditio atque Herodoti multò verius cum scriptura & temporibus concordare,tradunt enim utrique à deiecto Sardanapalo nullos fuisse reges apud Medos, sed ducum tantum imperio eos obediisse usque ad Deiocem,qui multis annis post Salmanassarem regnavit.

RESPONSIO.

Quod Salmanassar post captam Samariam Israelitas transtulerit in civitates Medorum ex sacra scriptura constat, sed quod interea Medi non habuerint proprios reges inde non consequitur: potuerunt plurima regna,& in his quoque Medicum ad Monarchiam Babylonicam pertinere,quæ tamen propriis regibus non caruerunt,& in quæ Salmanassari tanquam superiori Domino colonias mittere licuit, sicut omnibus temporibus multa particularia regna unum Monarcham pro superiore Domino agnoverunt. Ac quam multi reges à posteris Phulbelochi domiti & quasi tributarii facti fuerint testatur superba gloriatio Sennacheribi 4.Reg.19.

Nunquid,ait, liberaverunt Dii gentium singulos, quos vastaverunt patres mei,videlicet Gozam & Araz & Reseph & filios Eden,qui erant in Thelassar? Vbi est rex Emath & rex Arphad,& rex civitatis Sepharvaim,Ana & Ava?

Deinde quod ad Traditionem Eusebii & Herodoti attinet, certè Eusebius ab Arbace usque ad Astyagem proprios reges Medorum nobiscum numerat, undecunque Herodotus sumserit suam traditionem, quod à deiecto Sardanapalo nulli reges apud Medos fuerint usque ad Deiocem.

Vtut autem se res habeat,nos numeros Eusebii & Herodoti cum Metasthene & sacra scriptura atque serie Olympiadum & annorum ab urbe Roma condita auxilio Dei pulchrè conciliavimus,sumque in ea sententia,ut mihi diligentia Funccii suo in loco sæpe est approbata, ita ipsum hoc in loco non improbaturum quod diligentius indagata veritate, Metasthenem potius sequar quam traditionem ipsius.

Caput

Caput XIII.

NVnc, ut tandem concludamus Tabellam de regibus Babyloniorum, ostendemus breviter, quomodo tempora ipsorum cum sacra scriptura & Chronologia nostra conveniant.

DE PHVL BELOCHO.

De Phul Belocho lib. 4. Reg. 15. scribitur, Phul rex Assyriorum venit in terram Israel, & dabat Manahen Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium & firmaret regnum ipsius: Cœpit autem Manahen regnare super Israel anno quadragesimo primo Phul regis Assyriorum, circa quod tempus & hæc historia accidit.

DE TEGLAT PHVLASSAR.

Ibidem scribitur: In diebus Phateie regis Israel venit Teglat Phulassar rex Assur & cœpit Ion & Abelbethmaacha & Ianoë & Cedes & Asor & Galaad & Galilæam & universam terram Nephtali, & transtulit eos in Assyrios.

Et capite sequente, Misit Achaz rex Hierusalem ad Teglat Phulassar regem Assyriorum dicens: Ascende & salvum me fac de manu Razin regis Syriæ, & de manu Phacee regis Israel.

Quod attinet ad Phacee regem Israel, cœpit is regnare anno sexto Teglatphulassar regis Assyriorum, & regnavit annis viginti, intra quod tempus Teglatphulassar tam præclaras victorias in Israel est adeptus.

Achaz vero cœpit regnare anno vicesimo secundo Teglatphulassar regis Assyriorum, & anno quarto regni sui misit prædictam legationem ad eundem, qui ascendit in Damascum & vastavit eam & transtulit habitatores eius Cyrenem, Razin autem regem Syriæ occidit. Cæterum Phacee filius Romeliæ rex Israel eodem tempore interfectus est ab Osea filio Ela.

DE SALMANASSAR.

Lib. 4. Reg. 17 & 18 capite ita de Salmanassar legitur. Anno quarto Ezechiæ regis Iuda, qui erat annus septimus Osee filij Ela regis Israel, ascendit Salmanassar rex Assyriorum in Samariam & oppugnavit eam & cepit: Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, idest nono anno Osee regis Israel capta est Samaria, & transtulit Salmanassar decem tribus Israel in Assyrios. Ascendit igitur Salmanassar in Samariam anno regni sui decimo tertio in initio anni, nam cepit eam anno decimo quinto, cum eandem tribus annis inclusive acceptis obsedisset.

DE SENNACHERIB.

Ibidem ſcribitur, Anno decimoquarto regis Ezechiæ aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ad univerſas civitates Iuda munitas, & cepit eas. Annus autem decimusquartus Ezechiæ congruit cum anno ſeptimo & ultimo Sennacheribi, quod autem ſupra cap. 6. diximus, Sennacheribum quinto anno bellum eſſe molitum, quod ſexto tandem anno movit in Iudæos & Ægyptios, tres cauſæ ſunt.

Prima, quod veriſimile eſt in hoc apparatu bellico integrum annum elapſum eſſe, non enim ſolum in Iudæam bellum movere voluit Sennacherib, ut maiores ſui, ſed & potentiſſimum regnum Ægypti Aſſyriorum Monarchiæ adijcere præſumebat, ideoq; maioribus copijs atq; viribus opus erat.

Secunda, Expeditionem Sennacheribi forte aliquantulum quoq; remorata eſt Electio vel ſubſtitutio filij Aſſaradonis in regem Aſſyriorum. Solebant enim reges externo bello occupati in abſentia ſua filios interea domi relinquere ad gubernacula rerũ, quod & tum maxime opus fuit cum eodem ſexto anno Sennacheribi patefierent inſidiæ huc uſq;, ut veriſimile eſt, diligenter occultatæ, quibus Merodach Babylonium regnum ab Aſſyriorum Monarchia avellebat.

Tertia, Primum annum Merodachi & Aſſaradonis omnino neceſſe eſt concurrere cum quinto anno Sennacheribi propter temporum analogiam.

DE ASSARADONE.

DE Aſſaradone nihil præterea in ſana ſcriptura habemus, niſi quod occiſo patre Sennacheribo à fratribus Adramelech & Saraſſar regnaverit pro eo. 4. Reg. 19. Ac ſupra oſtendimus decennium illius regni ex ſerie regum Babyloniorum prorſus eſſe eximendum & Merodacho attribuendum.

DE MERODACH.

HIc Merodach per inſidias occupavit regnum Babylonicum, anno quinto Sennacheribi regis Aſſyriorum, cum idem Sennacherib moliretur bellum adverſus Iudæam & Ægyptum, etſi autem eodẽ anno Aſſaradon à patre Sennacheribo rex Aſſyriorum deſignatus eſt, tamen Monarchia penes Merodachum Babyloniũ manſit, regnavitq; annos quinquaginta duos, decem cum Aſſaradone, reliquos ſolus, in quibus Aſſyrium regnum Babylonico reunivit, Ipſius mentio fit 4. Reg. 20 & Eſaiæ 39. Literas & munera ad regem Ezechiam miſit circa annum regni eiuſdem decimum quintum, anno regni ſui tertio.

DE BENMERODACH.

Nomen Benmerodach ſive filij Merodach non expreſſè extat in ſacra ſcriptura, ſed putatur eſſe rex ille cuius princeps exercitus cepit Manaſſen regem in Hieruſalem, & vinctum cathenis atq; compedibus duxit in Babylonem. 2. Paral. 33. Porrò Benmerodach cepit regnare anno triceſimo ſexto regni Manaſſæ.

DE NABVCHODONOSOR PRIMO.

Contra hunc aſcendit Pharao Necho rex Ægypti, cumq; Ioſias rex Iuda ſe opponeret Ægyptio occiſus eſt in Magedda 4. Reg. 23. anno regni ſui 31. regni Pharaonis 10, Nabuchodonoſor vero 32. ſecundum calculum Chronologiæ noſtræ.

DE NABVCHODONOSOR SECVNDO SIVE MAGNO.

Hic Nabuchodonoſor Ioachim regem Iuda ſibi tribus annis ſervũ ſive tributarium fecit, & à rivo Ægypti uſq; ad fluvium Euphratem omnia occupavit quę fuerant regis Ægypti: Cumq; Ioachim rebellaret, Nabuchodonoſor iterum aſcendit ad urbem Hieruſalem ut eam oppugnaret, ſed egreſſo Ioachim cum matre & ſervis ſuis atq; ſponte deditionem faciente, ſuſcepit eum Nabuchodonoſor anno octavo regni ſui, acceptumq; tranſtulit in Babylonem. 4. Reg. 25. Porro cum & Zedechias ſucceſſor Ioachim rebellaret, Nabuchodonoſor tertiò cum omni ſuo exercitu in Iudæam venit anno regni Zedechiæ nono, regni vero ſui decimo ſeptimo, et obſidione urbem Hieruſalem ad tertium uſq; annum cinxit, ac tandem cepit, & unà cum Templo incendit, anno regni ſui decimo nono, Zedechiæ vero undecimo. Rex autem Zedechias fugiens in deſerto Iericho captus & ad Nabuchodonoſorem pertractus eſt, ubi vidit primum coram ſe filios & potentiſſimos quoſq; Duces trucidari, poſtea effoſſis oculis vinctus Babylonem abductus eſt & in carcere mortuus, 4. Reg. 25. Ierem. 39.

DE EVILMERODACH.

Evilmerodach primo anno quo regnare cœperat liberavit Ioachim (qui & Iechonias) ex carcere, & ei regium honorem & victum attribuit, anno TRANSMIGRATIONIS ipſius triceſimo ſeptimo, 4. Reg. 25. Ierem. 52.

DE REGASSAR, LABASSARDACH ET BALTASSAR FILIIS EVILMERODACH.

De prioribus duobus filijs Evilmerodach nihil reperitur in ſacra

ſcriptura, ac ſunt qui Petrum Commeſtorem magiſtrum hiſtoriæ Scholaſticæ horum nomina primum reperiſſe ſcribant: Sed nullum eſt dubium Metaſthenem eadem nomina hoc ipſo ordine annotaſſe & Labaſardach eſſe Labynitum, ſub quo primum capta eſt Babylon à Cyro Perſa anno ſeptuageſimo Exilij Iudaici. Baltaſſar vero is eſt quem Deus propter libidinum ſpurciciem & blaſpheniam nominis ſui ſubitanea morte inter pocula ſuſtulit, in cuius regnum ſucceſſit Darius Medus, atq; ita ſecundò Babylonem cepit. Daniel. 5. Series autem annorum horum trium regum ab alijs autoribus aliter atq; aliter annotata eſt, cum propter errorem de vero tempore ab ædificatione Templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem, tum quod duplicem captivitatem Babylonis ad unum eundemq; annum, nimirum ad annum ſeptuageſimum Exilij Iudaici reſtrinxerunt, quo anno quoq; regnum filiorum Evilmerodach deſijſſe arbitrati ſunt.

Nos tribuimus Regaſſar annos tres, Labaſſardach novem, nam hoc non ſolum ſeries Monarchiæ Perſicæ, ſed Analogia omnium temporum requirebat. Ioſephus contra Appionem hunc Regaſſar Neregalaſſar vocat, & fratrem vxoris Evilmerodach fuiſſe, ac quatuor annis regnaſſe ſcribit. Ex his autem omnibus ſatis manifeſtum eſſe arbitramur: A diviſione Monarchiæ Aſſyriorum ſub Arbace Medo & Belocho Babylonio facta uſq; ad Monarchiam Perſarum, quæ inchoatur à Cyro Perſa poſtquam Babylonem urbem cepit, elapſos fuiſſe annos 290. quam ſummam in Tabella huius ſecundi libri annotavimus.

Liquidò etiam apparet qua ſerie reges Babyloniorum & Medorum à deſtructa Monarchia Aſſyriorum uſq; ad Monarchiam Perſicã ſint numerandi, ſublato omni Scrupulo, qui hic non parum torſit Chronologicorum rerum ſtudioſos.

Caput XIIII.

DE SECVNDA MONARCHIA, QVAE EST MEDORVM ET PERSARVM, SED QVAE nunc vulgò tantum Perſarum Monarchia vocatur.

IN ſecunda Monarchia ferè tot ſunt Scrupuli, quot reges, diſſentientibus inter ſe Chronologis, potiſſimum autem Metaſthene & Græcis ſcriptoribus de ſerie horum temporum, & dubitantibus lectoribus utri parti potius adhibenda ſit fides: Si Græcos ſequaris, ut Herodotum, Xenophontem, Thucydidem & alios, nec tempora nec nomina regum Perſicorum aptè congruent, cum ſacra ſcriptura, ſi Metaſthenem,

nem,

nem, reperies quidem omnia aptè congruere cum sacra scriptura, ita men ut confundatur historia rerum Græcarum, quam gravissimi autores tanta diligentia ad certissimos annos Olympiadum concinnarunt, confusa autem Græca historia necesse quocß est, seriem annorum ab urbe Roma condita nonnihil vacillare, quæ à Latinis scriptoribus cum serie Olympiadum frequenter confertur.

Porrò cum sacræ scripturæ suam autoritatem salvam & immotam esse oporteat, nequaquam reijciendus est Metasthenes, econtra cum Græci autores, qui nobis seriem Persicorum regum reliquerunt, sint fide dignissimi, quocß non est tutum ab ipsis recedere: Hic igitur quid erit faciendum, ut nos ex hoc irremeabili labyrintho explicemus? Alij quidem alia via rem sunt aggressi, nobis hæc videtur expeditissima.

Instituenda est conciliatio utrincß, & cum sacra scriptura & cum Græcorum historia conveniens, inde veritas ipsa quam maximè elucescet, & cuicß parti sua autoritas relinquetur.

Primum igitur diligenter observandum est, non similes aut eosdem reges numerari à Metasthene & Græcis uscß ad Darium Artaxerxem Longimanum, etsi eadem Monarchia ab utrisqß describatur: Metasthenes numerat reges ortos ab Astyage Medo, ut Darium Medum, qui omnium consensu est Cyaxares, Cyrum fratrem Darij, Priscum Artaxerxem Assuerum filium Darij Medi ex quo natus est Darius Artaxerxes Longimanus. De his regibus excepto Longimano Græci in serie Monarchiæ Persicæ nullo verbo expressementionem faciunt, quippe quibus omnino fuerunt ignoti, cuius rei hanc caussam adfert Iosephus lib. 1. contra Apionem, cum inquit.

Qui procul à mari habitabant multis temporibus Græcis historicis sunt ignorati, & hoc apparet etiam circa Europam contigisse, quando de Romanorum ciuitate tam longo tempore adepta imperium, tantacß bella conficiente, necß Herodotus, necß Thucydides, nec ullus qui fuit cum istis, fecit aliquam mentionem, sed serò tandem, & vix ad Græcos potuit eorum venire noticia. De Gallis etiam & Hispanis sic ignoravêre hi, qui putantur diligentissimi conscriptores (quorum est Ephorus) ut unam civitatē esse arbitrarentur Iberos, qui tantam partem occidentalis terræ noscuntur inhabitare, &c.

Constat autem Medos longissimè à mari Europam ab Asia dividente sitos esse, ideocß proculdubio à Græcis sunt ignorati, siquidem & Persæ, etsi ad littus maris habitarunt illis fuere incogniti, donec tandem imperium in Asia sunt adepti, ut idem Iosephus testatur.

Græci igitur, ut ad propositum redeamus, non eosdem reges cum Metasthene, sed omnino diversos uscß ad Darium Artaxerxem Longimanum numerant, videlicet ortos à Cambyse nobili Persa genero Astyagis regis Medorum, ut Cyrum Persam, Cambysem filium eiusdem, Darium filium Histaspis & Xerxem. Ac quod diversi reges initio in Persia regnaverint, ex communi consensu, et quasi per traditionem omniū veterum Chronologorum comprobatur, qui secundam Monarchiam

tam Medis quàm Persis coniunctim attribuere solent. Nam quod aliqui Medorum Monarchiam à Persica separant,& ad superiora tempora post Sardanapalum ultimum regem Assyriorum referunt,hoc (ut pace eorum dixerum) nihil est:tum enim Babylonij reges summam orbis Monarchiam usq; ad Cyrum Persam obtinuerunt, ideoq; prima Monarchia à Nino usq; ad Cyrum Persam Assyriorum & Babyloniorum inscribitur. Ad hæc alij tradunt à deiecto Sardanapalo nullos fuisse reges apud Medos, sed Ducum tantum imperio eos obedivisse usq; ad Deiocem, qui multis annis post Sardanapalum regnavit,& cuius tempore sub MERODACHO rege maximè floruit Monarchia Babyloniorum. Verum de illa opinione quid sentiendum sit dictum est supra capite 12.

Deniq; non convenit plures quam quatuor Monarchias orbis sibi invicem ordine succedentes constitui,in quarum numero Babyloniorum cum Assyriaca prima censetur, quod utrumq; manifestè ex capite secundo Danielis patet: fierent autē quinque si Medis seorsim sua Monarchia attribueretur. A Dario autem Artaxerxe Longimano usq; ad Darium ultimum regem Persarum, eadem nomina regum apud Metasthenem & Græcos reperiuntur,quamvis in serie annorum non ubiq; invicem concordent. Hæc ut melius intelligantur subijcio Genealogiam omnium regum Monarchiæ Persicæ.





GENEA-

GENEALOGIA REGVM MONARCHIAE VT VVLGO VOCANT PERSICAE.

PERSAE. ASTYAGES REX MEDORVM, ANN. 35. MEDI.

Cambyses nobilis Persa. – Mandane. Cyrus.

CYRVS I. REX PERSArum ann. 29. cepit Babylonem occiso rege Labynito.

CAMBYSES II. Rex Persarũ ann. 8. AEgyptũ Persicæ Monarchiæ adiecit.

ATOSSA – DARIVS F. Histaspis 3. Rex Persarum añ. 36. cepit Babylonē fide et opera Zopyri, cũ sub Cyro Medo rebellaret.

XERXES IIII Rex Persarũ ann. 20. Maximũ exercitũ in Gręcia perdidit.

Darius Medus, qui & Cyaxares, occupavit regnum Babylonicũ occiso divinitus Baltassare: Regnavit cum Cyro fratre annis 36.

Cyrus filius Astyagis, frater & successor Darij Medi, Regnavit solus annis 22 post obitũ fratris, sed hoc tempus inter annos 36 prædicti fratris Darij Medi computatur. Hic occisus est à Tomyride regina Scytharum sive Massagetharum.

Sub hoc Cyro redierunt Iudæi in Palestinam.

Priscus Artaxerxes Assuerus F. Darij Medi ann. 20. Sub hoc contigit historia Esther.

DARIVS ARTAXERxes Longimanus V. Rex Persarũ ann. 55. Solus regnavit ann. 44. cum Xerxe undecim annis.

Huius anno secundo Aggeus & Zacharias prophetant, et denuo inchoatur ædificatio Templi, & absolvitur anno sexto eiusdem, elapsis à prima inchoatione usq; ad hoc tempus annis 46. Iohan. 2.

I.

DARIVS NOTHVS VI. Rex Persarum ann. 19.
ARTAXERXES MNEMON VII. Rex Persarum ann. 37.
OCHVS VIII. Rex Persarum ann. 26.
ARSAMES IX. Rex Persarum ann. 4.
DARIVS ultimus Rex Persarum ann. 6.

Caput

Caput XV.

CVm certum sit diversos reges à diversis autoribus in Monarchia Persica numerari, Deinceps observandum quoq; erit diligentissimè, quæ historiæ, quæq; tempora alterutrisq; regibus attribui debeant: nam si hic peccatur nunquam diversa de diversis scribentes conciliari poterunt. Annotabo igitur brevem historiam vtrorumq; regum, quantum ad nostrum propositum sufficere arbitrabor, uberiores narrationes petet lector ex ipsis autoribus, qui de his regibus magnos commentarios scripserunt.

DE CYRO PRIMO REGE PERSARVM.

De Cyro primo rege Persarum scribit Herodotus suo tempore triplicem fuisse narrationem, quomodo ad regnum Persicum pervenerit, quas res bello & parce gesserit, & quò genere mortis diem clauserit extremum: cumq; ex hac varietate opinionum se veriora excerpsisse constanter affirmet, non discedemus ab historia illius, nisi ubi necessitas ipsa hoc requiret.

Ac primum constat Cyrum natum esse ex Cambyse nobili Persa, & Mandane filia Astyagis regis Medorum: quæ circa nativitatem, Expositionem, Educationem atq; Recognitionem ipsius contigerunt, etsi quibusdam videntur fabulosa, tamē utiliter & magna cum voluptate apud Herodotum legi possunt. Cœterum Astyages Harpago familiari suo valde infestus, quod Cyrum nepotem suum seruasset, quē occidi mandaverat, filiū eius interfecit, epulandumq; patri tradidit: hoc tam immane & inauditum factum etsi Harpagus ad præsens tempus se æquo animo ferre simulavit, tamen postea vindictæ cupiditati adeo indulsit, ut eam unam ob caussam regnum Mediæ Cyro proderet, Cyrus itaq; consilio & ductu Harpagi bellum contra avum Astyagem movit, & cum res ad conflictum pervenisset vivum cepit regnoq; amovit, cum regnasset annos quinq; & triginta.

Ab eo tempore inchoatur Regnum Cyri in Persia, ac regnavit annis undetriginta. Initium regni eiusdem incidit in annum primum Olympiadis 55. quod Eusebius ex vetustissimis autoribus liquidò demonstrat, ut infra lib.3.cap.19.dicetur.

Cumq; hoc tempus notissimum esse debeat, sciendum est id convenire cum anno Mundi, 3405, cum anno autem ab urbe Roma condita 193, qui fuit annus captivitatis Babylonicæ 45.

Post captum Astyagem secutum est bellum Lydium & Ionicum, Nam Crœsus filius Halyattis rex Lydorum (cuius soror Ariena Astyagi matrimonio iuncta erat) volens ulcisci aut liberare affinem Astyagem,

gem, magnum bellum adversus Cyrum concitavit, & ex Ionia adeoq; universa Græcia auxiliares copias sibi adiunxit, sed Cyrus ipsum quoq; cepit. Integra historia huius belli legatur apud Herodotum, & exemplum Crœsi nos doceat, ne res magnas sine necessitate moveamus, sed simus memores nostræ infirmitatis, & faciamus necessaria, quisq; in ea vocatione in qua vocatus est à Deo, ne & nobis occinatur illud Ovidij, Irus & est subitò qui modo Crœsus erat.

Est autem Crœsus à Cyro captus anno primo Olympiadis 58, autore Solino cap. 7. anno regni sui & captivitatis Astyagis decimo quarto, Cyri autem decimotertio. Interea Mazares & Harpagus auspicio Cyri quoq; maximas res in Ionia, Caria & Lycia gesserunt, captis urbibus quæ Crœso confœderatæ fuerant, donec ferè omnem inferiorem Asiam subegerunt, sicut Cyrus superiorem devicit, vniversam gentem evertens, nihilq; relinquens.

Porro Cyrus ubi continentem universam suæ ditionis effecisset, Assyrijs bellum intulit, quo tempore Labynitus imperium habebat, nã quod Iustinus scribit Cyrum post victoriam compositis in Babylonia sive Assyria rebus, bellum in Lydiam transtulisse, cum analogia temporum pugnat.

Caussæ huius belli Assyriaci quatuor fuerunt.

Prima, quia Deus per Esaiam Prophetam ducentis annis ante prędixerat, hunc Cyrum finem impositurum captivitati Babylonicæ Iudęorum: hanc prædictionem tum temporis impleri oportuit, ut constaret veritas promissionis Dei. Esa. 45. Ioseph. lib. 11. de Antiquit: Iud. cap. 1.

Secunda, Labynitus rex Assyriorum Crœso non solum affinitate, sed etiam fœdere in bello Lydio coniunctus fuerat, ut scribit Herodotus: cum igitur ut communem hostem post victum Crœsum iure belli Cyrus quoq; est armis persecutus.

Tertia, Incitavit & Gobryas vir Assyrius potentissimus Cyrum contra Labynitum, quod unicum filium ipsius eumq; innocentem ex mera tyrannidis truculentia occideret, ut narrat Xenophon.

Quarta, ut in alijs summis Monarchijs semper libido regnandi dominata est, ita eadem Cyrum quoq; stimulasse videtur, ut quò plura possideret regna, eò magis satageret & reliquam sibi subijcere, quibus nondum imperabat, sicut etiam Alexandrum, cum audisset plures esse mundos, illachrymasse ferunt, quod nondum unum sibi penitus subiugasset.

Et Cyaxares apud Xenophontem hanc regnandi super omnes libidinem non obscurè obijcit atq; exprobrat ipsi Cyro nepoti suo.

Cœterum cum sub hoc Labynito rege Assyriorum primum capta sit Babylon, & ad suum finem cucurrerit septuagenaria captivitas Iudæorum, atq; ab eodem tempore sumatur initium Monarchiæ Medopersicæ, nec parum referat ad clariorem elucidationem sacræ scripturæ hoc tempus esse quàm notissimum, tractabimus hîc aliquanto uberius historiam de capta urbe Babylone à Cyro primo rege Persarum.

Caput XVI.

DE CAPTA VRBE BABYLONE A CYRO PRIMO REGE PERSARVM ET A DARIO Medo.

CAptivitatem Iudæorum in Babylonia durasse annos septuaginta, testantur expressè loci scripturæ, Ierem. 25, 2. Paral. 1. Esd. 1. Vbi autem inchoandi sint hi anni & ubi desinant, alij alias adferunt opiniones, cum tamen secundum eosdem locos scripturæ certissimum sit eos inchoari oportere ipso anno, quo capta est Ierosolyma à Nabuchodonosor rege Babyloniorum, & Iudæi captivi in Babyloniam translati sunt: Si ergo inchoantur eo anno quo capta est urbs Hierosolyma, necesse est ut iuxta analogiam temporum desinant anno vicesimo septimo Cyri primi regis Persarum, hic enim capta urbe Babylone & occiso rege Labynito publico edicto Iudæis reditum in patriam ex septuagenaria ista captivitate concessit.

Sed huic sententiæ opponitur locus Danielis cap. 9. Vbi septuaginta annos desolationis Hierosolymæ primo anno Darij Medi completos esse scribitur, verum hic locus rectè intellectus non pugnat cum priori sententia, sed duo docet.

Primum est, Duo esse initia regni Darij Medi constituenda: Alterum quo devicto Apanda rege Medorum ex linea Mandanæ axioma imperij Medici rursus ad lineam Sosarmi transtulit, & ab eo tempore cum Cyro fratre regnavit annis 36. vide supra lib. 1. cap. 16. & lib. 2. cap. 6. De Scrupul. Chronologorum. Hoc primum initium regni Darij Medi congruit cum tempore, quo finita est septuagenaria captivitas Iudæorum in Babylonia, & quò Cyrus Persa urbem Babylonem sub Labynito rege cepit, atq; ipsis Iudæis publico Edicto reditum in patriam concessit.

Alterum initium regni Darij Medi est, quo divinitus occiso Baltassare rege Babyloniorum, ipsi in regno successit, & ab eo tempore regnavit adhuc duos annos, ut Cyrus frater post mortem ipsius solus regnaverit annis 22. quemadmodum rectè annotavit Metasthenes, & de hoc initio regni Darij Medi, loquitur Daniel cap. 5. Intervallum igitur horum duorum initiorum sunt integri duodecim anni.

Secundò docemur hîc, nec sub Cyro Persa nec sub Dario Medo Iudæos in Palestinam redijsse: Si enim sub Cyro Persa redierunt in Palestinam cum vasis Templi Domini, quæ Nabuchodonosor ex urbe Hierosolyma abstulerat 1. Esd. 1. Quomodo Baltassar duodecimo anno post hæc vasa sibi in convivium adferri iussit, cum esset in urbe Babylone? Vbi (ut legitur apud Danielem cap. 5.) cum ipse Baltassar non solum prædictis vasis cum optimatibus, uxoribus & concubinis suis ad

fœdam

fœdam ingurgitationem & belluinam ebrietatem abuteretur, sed insu-per Deum ipsum, ex cuius Templo erepta erant, horrendis blasphemijs lacesseret, eadem nocte divinitus est occisus, eicꝫ Darius Medus in re-gno successit annos natus sexaginta duos. Licet igitur Cyrus Persa Iu-dæis reditum concesserat, tamen hoc tempore unà cum Iasis Templi Domini adhuc in Babylonia hæserunt.

Caussæ autem impediti reditus ipsorum tres assignari possunt: pri-ma, perversitas Iudæorum, quod multi maluerunt manere apud Baby-lonios, quàm possessionibus suis ibidem relictis in Palestinam redire. Io-seph. lib. 11. Antiquit. Iud. cap. 1.

Secunda, obitus Cyri, cum enim ille tertio anno post Edictum de re ditu Iudæorum obijsset, interea executio illius Edicti, quæ neglectui fue rat Iudæis, cepit etiam negligi à Persis.

Tertia caussa fuit Expeditio Cambysis in Ægyptum: Consenta-neum enim est, quod, cum Cambyses bellum illaturus esset Ægyptijs, ca lumniatores in aula sumta hinc occasione disputaverint, Iudæos ex Ægyptia stirpe esse, & cavendū esse, ne se cum Ægyptijs coniungerent. Hæc caussa extat apud C. V. Philippum Melanthonem.

Cum itacꝫ toto tempore vitæ Cyri Persæ & Cambysis filij ipsius Iudæi integros duodecim annos post septuagenariam captivitatem in Babylonia sua ipsorum culpa permansissent, tandem Darius Medus occupato regno Babylonico Edictum Cyri Persæ de reditu Iudæorum repetivit: hæc repetitio facta est anno primo regni ipsius Babylonici, atcꝫ hic primus annus Darij Medi congruit cum anno secundo Darij Histaspis filij, Inde Eusebius ex Clemente Alexandrino, probat Iudęos in Babylonia hæsisse utcꝫ ad annum secundum Darij Histaspis, sed non rectè colligit à desolatione urbis Hierosolymæ uscꝫ ad hoc tempus an-nos septuaginta tantum elapsos esse, cum illi septuaginta anni desierint anno vicesimo sexto Cyri primi regis Persarum, quin & Iudæi nec anno primo Darij Medi, ut dictum est, nec anno secundo Darij Histaspis, sed anno primo Cyri Medi, quo solus post obitum Darij fratris regnare cœ pit tandem in Palestinam redierunt, ut infra dicetur.

Est igitur diligenter observandum, non eosdem reges esse Labyni-tum & Baltassarem, nec eadem esse tempora captæ Babylonis urbis à Cy ro Persa & Dario Medo: Labynitus est ille rex Babylonicus, de quo scribit Herodotus, & quem occidit Cyrus Persa, & sub eo primum est ca pta Babylon.

Baltassar regnavit post Labynitum annis 12, eo occiso divinitus Darius Medus secundò cepit Babylonem: Cumcꝫ bis capta sit Babylon brevi intervallo manifestè apparet unde orta sit tanta confusio apud Chronologos, qui de istis temporibus penè singuli singulas habent opi-niones: Nam præterquam quod in serie annorum uscꝫ ad hæc tempo-ra aliquid erratum est, etiam inde maximam confusionem sequi necesse fuit, quod duplicem Babylonis captivitatem intervallo duodecim anno-rum à se invicem distinctam, ad unum quasi fixum annum annotarunt,

& ad hunc annum collationem annorum mundi, annorum ante Chri-stum natum, annorum Olympiadum, & annorum ab Vrbe condita in-stituerunt.

Caput XVII.

ETsi Cyrus Persa res magnas gessit ante occupatam Babylonem, ta-men, ut inquit Melanthon, initium Monarchiæ Persicæ constitutũ est hac victoria, qua summam arcem Imperij Babylonem cepit. Et anni septuaginta exilij Iudæorum hoc anno capta Babylone finiun-tur. Hic nominatur annus primus Cyri, scilicet Monarchiæ post captam Babylonem 2 Paral. 36. 1. Esd. 1.

Et ab hoc anno numerantur anni 203 usq; ad Monarchiam Græ-corum, quæ inchoatur anno septimo Alexandri Magni, postquam in Græcia regnare cœpisset, id quod nunc ex serie regum Persarum secun-dum Græcos autores & Metasthenem probabimus.

TABELLA REGVM PERSARVM SECVN-DVM GRAECOS AVTORES.

CYRVS post captam Babylonem regnavit annis	3.
Cambyses	8.
Darius filius Histaspis	36.
Xerxes.	20.
Darius Artaxerxes Longimanus	44.
Darius Nothus.	19.
Artaxerxes Mnemon	37.
Ochus.	26.
Arsames.	4.
Darius Vltimus.	6.

Summa annorum Monarchiæ Persicæ. 203.

SCHOLION.

Cur tribuendi sint Cyro anni undetriginta, Artaxerxi Longima-no 44, & Artaxerxi Mnemoni 37, postea dicemus, verum quod omnes penè Chronologi Monarchiam Persicam ad 230 annos exten-dant, id fit ideo, quia priori summæ annumerant annos 26 quibus Cy-rus ante captam Babylonem in Persia regnavit, & ad annos 29 adhuc unum illi superaddunt.

TABEL-

TABELLA REGVM PERSARVM SECVNDVM METASHENEM.

Darius Medus cum Cyro fratre regnavit annis	36.
Priſcus Artaxerxes Aſſuerus	20.
Darius Longimanus.	37.
Darius Nothus	19.
Magnus Artaxerxes Darius Mnemon	55.
Artaxerxes Ochus.	26.
Arſes.	4.
Darius ultimus.	6.
Summa annorum Monarchiæ Perſicæ.	103.

SCHOLION.

In hac tabella Metaſthenes inverſo ordine Longimano tribuit annos 37, & Mnemoni 55 cum huic tribuendi ſint anni 37 & illi 55, ſed hac de re quoq; poſtea ſuo loco dicetur infra cap. 31.

Caput XVIII.

EAdem ſumma annorum Monarchiæ Perſicæ, quoq; ex ſerie Ducum & pontificum Iudaicorum, qui poſt captam Babylonem à Cyro Perſa uſq; ad Alexandrum Magnum populo præfuerunt, apud Philonem demonſtrari poteſt, ſi lector prius præmonitus ſit ubi ſeries horum Ducum & pontificum primum ſit inchoanda.

Expletis ſeptuaginta annis captivitatis Babylonicæ, & victo Labynito Babyloniorum rege, CYRVS rex Perſarum anno primo Monarchiæ ſuæ, ſive, ut 1. Eſd. 1. ſcribitur, cum Dominus Deus cœli dediſſet ei omnia regna terræ, propoſuit Edictum de reditu Iudæorum in Paleſtinam & inſtauratione Templi, ſed hoc Edictum plane fuit irritum propter cauſſas de quibus ſupra cap. 16.

Decimotertio anno poſt Darius Medus cum Cyro fratre idem Edictum repetiverunt, ac tum Zorobabel Dux & Ioſua ſummus Sacerdos Iudæorum ſe accinxerunt ad iter in Paleſtinam, ſed propter apparatus difficultatem & mortem Darij Medi profectio eorum adhuc ad biennium impedita fuit, donec tandem anno primo Cyri Medi reduxerunt in patriam multitudinem hominum 42360, exceptis ſervis & ancillis eorum, qui erant, 7337, 1. Eſd. 2.

A Zorobabel autem & Ioſua ſequitur apud Philonem continua ſeries Ducum et pontificum Iudaicorum uſq; ad Alexandrum Magnũ: Verum obſervandum eſt tredecim annos, qui Philoni in ſerie annorum Templi Salomonis ſuperſunt, Zorobabel & Ioſuæ alterutriq; ſeorſim atq; ſigillatim ad reliquum tempus, quod illis à Philone tribuitur, ſuper

addendos esse, si velimus ipsorum Ducatum & pontificatum inchoare eo ipso anno quo Cyrus Persa cepit Babylonem, vel tantum duodecim, si initium sumamus proximo anno post captã Babylonem, quo & Monarchia Persica inchoatur. Iuxta hunc calculum Zorobabel Dux, qui à philone scribitur præfuisse populo Iudaico annis 58, præfuit annis 70, & Iosua summus sacerdos, cui Philo usq; ad duodecimum annum Prisci Artaxerxis Assueri tribuit annos 36, præfuit sacerdotio annis 48. inde uterq; cum suis successoribus eadem serie temporum præfuerunt usq; ad Alexandrum Magnum, quam annotavit Philo.

Si vero initium Ducatus & pontificatus ipsorum referamus ad primum annum Darij Medi, postquã occupavit regnum Babylonicum, & repetivit Edictum Cyri Persæ, non opus erit quicquam addere vel adimere Philoni in serie Ducum & pontificum Iudaicorum usq; ad Alexandrum Magnum, & numeri Philonis aptissimè convenient cum sacra scriptura & Metasthene per totam Persicam Monarchiam, ut videre licet in Chronologia nostra.

TABELLA DVCVM IVDAICORVM TEMPORE MONARCHIAE PERSICAE, SVMPTA ex Philone.

Zorobabel Dux Iudæorum ab anno primo Darij Medi præfuit populo Iudaico annis	58.
Resa Mesullam	66.
Iohanna Ben Resa	53.
Iudas primus, cognomine Hircanus	14.
Summa annorum.	191.

Iam adijce annos duodecim à primo anno Monarchiæ Persicæ, usq; ad primum annum Darij Medi, & erit

Summa annorum Monarchiæ Persicæ. 203.

TABELLA PONTIFICVM IVDAICORVM TEMPORE MONARCHIAE PERSICAE sumpta ex eodem.

Iosua sive Iesus pontifex Iudæorum ab anno primo Darij Medi præfuit summo sacerdotio usq; ad duodecimum annum prisci Artaxerxis Assueri annis	36.
Ioachim filius Iesu absente patre	8.
Iesus reversus à rege Babylonico sive Persico	20.
Ioachim filius post obitum patris iterum.	48.
Eliasib.	21.
Ioiada	24.
Iothan.	24.
Iaddua ultimus pontifex sub Persis	10.
Summa annorum.	191.

Adij-

Adijce iterum duodecim annos à primo anno Monarchiæ Persi. cæ usq; ad primum annum Darij Medi, & erit

Summa annorum Monarchiæ Persicæ. 203.

Reliqua quæ de Ducibus & Pontificibus Iudæorum dicenda sunt in serie regum Monarchiæ Persicæ expediemus.

Caput. XIX.

NVnc redeo ad historiam Cyri Persæ: Narrat Xenophon Cyrum post captam Babylonem bellum transtulisse in Ægyptum, eamq; subiugasse, ut tandem regnaverit omnibus regionibus illis quæ terminantur ab Oriente mari Erythreo, à septentrione Ponto Euxino, ab occidente Cypro & Ægypto, à meridie Æthiopia. Sed hæc narratio apud alios historicos non meretur fidem, qui uno consensu subactionem Ægypti non Cyro, sed Cambysi filio ipsius asscribunt.

Herodotus autem ait eum ivisse ad bellum Massageticum, & ibidē à Tomyride regina trucidatum esse, amputato capite illius atq; in utrem humano sanguine repletum coniecto, cū hac exprobratione crudelitatis.

Satia te humano sanguine, quem sitisti, cuiusq; insatiabilis semper fuisti.

De hac tamen historia Herodotus ipsemet dubitat, cum inquit, hęc de Cyri vitæ exitu dicta sufficiant, de quo cum multa referantur, is qui mihi maximè verisimilis videtur, à me commemoratus est. Quamvis autem concedi potest, Cyrum post captam Babylonem ivisse ad bellum Massageticum, & consentaneum sit utrinq; magnos exercitus trucidatos esse, tamen hæc tria hic sunt observanda.

Primum, hoc bellum non esse bellū illud sexennale Scythicum, de quo Metasthenes loquitur, quomodo enim Cyrus abfuisset sex integros annos in Scythia, cum tantum tribus annis post captam Babylonem supervixerit?

Secundum, nec fingendum est Cambysem sex annos interea in absentia patris Cyri regnasse, nam quod Metasthenes ait Cambysi regnum Persicum resignatum esse tempore belli sexennalis Scythici, id factū est sub Dario Medo & Cyro fratre ipsius.

Postremum, Magis verisimile est Cyrum Persam ex bello Massagetico iterum domum redijsse: ac narrat Xenophon eum placidè mortuum esse in complexu suorum, cum prius Cambysem filicum successorem Monarchiæ Persicæ designasset.

Mortuus igitur est Cyrus anno regni sui Persici undetricesimo, anno Monarchiæ tertio, anno Mundi 3433.

Iustinus & alij, qui ipsum sequuntur, Cyrum tricesimo anno regni sui obijsse scribunt, sed nos & propter Herodotum & propter analogiam temporum numerum viginti novem annorum retinuimus.

Porro monui ſupra, lib. 1. cap. 11. Funccio numeranti ab ædificatione Templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem annos 422, deficere annos quinq;, & illud quinquennium in Monarchia Perſica reſarciri. Id igitur fit in annis Cyri hoc modo.

Funccius quoq; tribuit Cyro annos 29. eumq; Babylonem anno regni Perſici viceſimo primo cepiſſe aſſerit, & poſt illam captivitatem adhuc regnaſſe annis octo, nos tribuimus Cyro annos totidem, eumq; Babylonem cepiſſe anno viceſimo ſexto regni ſui Perſici, oſtendimus & poſt illam captivitatem adhuc regnaſſe annis tribus: Differentia ergo eſt quinq; annorum, quibus Funccius Cyrum diutius quàm nos poſt captam Babylonem regnaſſe ſcribit, id quinquennium adiectum annis 422 conſtituit nobiſcum verum tempus ab Ædificatione Templi Salomonis uſq; ad deſtructionem eiuſdem, & initium ſeptuagenarij exilij Iudæorum in Babylonia.

A fine autem regni Cyri poſthac Funccius per totam Monarchiã Perſicã in ſerie regum ſecundum Græcos autores, ferè ubiq; nobiſcum convenit, ſed non in ſerie priorum regum uſq; ad Darium Artaxerxem Longimanum, quorum meminit ſacra ſcriptura & Metaſthenes: ideoq; fruſtra laborat, dum nititur ea Cambyſi, Dario Hiſtaſpis, & Xerxi aſcribere quæ alijs regibus ex ſtemmate Medorum, ut Dario Medo, & Cyro fratri, ac Priſco Artaxerxi Aſſuero filio eiuſdem ſunt aſſeribenda.

Hæc de vita, rebus geſtis & morte Cyri Perſæ paucis commemorare volui, quibus rectè conſideratis integra & vera hiſtoria ipſius ex Herodoto ordine excerpi poteſt.

Xenophon ſuam Pædiam Cyri non ad hiſtoriæ fidem ſcripſit, ſed velut formam & imaginem boni principis in eo libro expreſſit, & tamen interdum aliqua immiſcuit, quæ hiſtoricæ veritati & noſtro propoſito non parum patrocinantur.

Caput XX.

DE CAMBYSE II REGE PERSARVM.

CAmbyſes filius Cyri primi regis Perſarum natus ex Caſſandane filia Phamaſpis, ſucceſſit patri Anno Mundi 3434.

Hunc aliqui quoq; Artaxerxem dictum fuiſſe putant, & eundẽ eſſe, qui 1. Eſdræ 4. ædificationem Templi prohibuerit: quod ſi ita eſt, convenit idipſum cum tertia cauſſa impediti reditus Iudæorum in Paleſtinam, de qua ſupra cap. 16. Nos ſalvo aliorum iudicio illum Artaxerxem putamus eſſe Cyrum Medum: infra cap. 22.

Hic Cambyſes cum exercitu Ægyptum ingreſſus eſt, eamq; adiecit Monarchiæ Perſicæ circa tertium annum Olympiadis 63 ut Diodorus

rus inquit lib. 2. Rerum antiquarum, anno regni sui quinto, & ab hoc tempore quoq; certa series annorum Monarchiæ Persicæ sumi potest, ut infra lib. 3. cap. 20. dicetur. Regnavit omninò annos septem, menses quinq;, defuncto autem eo regnarunt Magi menses septem, qui reliqui sunt ad implendum octavum annum regni Cambysis.

Totam historiam vitæ Cambysis prolixè describit Herodot. lib. 3.

Caput XXI.

DE DARIO MEDO ET CYRO FRATRE IPSIVS.

DArius Medus omnium consensu est Cyaxares filius Astyagis regis Medorum, qui Astyages Daniel. 9. Ahasuerus vocatur: vox Ahasuerus significat principem hæreditatis, hoc est eum cui ex hæreditate debetur principatus sive regnum, etsi illud nondum accepit, sive acceptum amisit, Hispani nominant Infantem regni.

Hoc nomen videtur Astyages accepisse ab eventu, cum illi à Cyro ademptum esset regnum Medorum, ut se non amplius scriberet regem, sed Ahasuerum Medorum.

Porro Dario Medo fuisse fratrem nomine Cyrum patet ex Metasthene, cum inquit, Priscum Artaxerxem Ahasuerum filium Darij Medi ultionem sumpsisse de factione Tomyrica, quæ patruum (hoc est patris sui fratrem Cyrum) Tomyridi reginæ Scytharum per dolum prodiderat. Hic multi ac penè omnes Chronologi (quod cum venia ipsorum dictum volo) decepti sunt, qui huius Cyri Medi res gestas cum temporibus Cyri Persæ confuderunt.

Victo autem Astyage & regno Medico per Cyrum Persam illi adempto, ademptum quoq; est idem Dario Medo & Cyro fratri filijs eiusdem.

Etsi enim, ut Herodotus scribit lib. 3. consueverunt Persæ in honore habere filios regum, &, si qui ab illis defecerunt, filijs illorum restituere principatum, tamen hęc regula tunc non est observata.

Primum, quod Apanda, qui ab Arbace per lineam Mandanæ descenderat, prius titulo regis Medorum ornatus erat, quem consentaneũ est Cyrum Persam quoq; adiuvisse in devincendo Astyage, ut confirmaretur ab eodem in regno suo.

Deinde, quod Cyrus Persa potuit habere suspectos suos avunculos de rebellione, sicut eadem de caussa, patrem ipsorum Astyagem regno privavit, & genti Hircanorum præposuit.

Vixerunt igitur hic Darius Medus & Cyrus frater ipsius sine regio titulo, totos viginti sex annos, vel apud patrem in Hircania, vel sequentes castra Cyri Persæ nepotis sui usq; ad captam Babylonem urbem ab eodem Cyro Persa.

Anno primo post captam Babylonem, qui etiam primus annus est

Mo-

Monarchię Persicæ, Darius Medus cum fratre Cyro devicto Apanda rege Medorum ex linea Mandanæ, diadema regni Medici rursus ad lineam Sosarmi transtulerunt, vide supra cap. 6. 11. 16. Ab hoc tempore regnarunt annis 36. Ante reunitam Monarchiam scilicet Medorum & Persarum in Perside annis sex, nam etsi se clientes Cyri Persæ summi Monarchæ agnoscerent, tamen titulum regum Medorum etiam in Perside apud Cyrum & Cambysem hærentes post devictum Apandam iterum gesserunt.

Inde alijs sex annis Persico regno resignato Cambyse filio Cyri Persæ sexennale bellum Tomyridi reginæ Scitharum intulerunt: anno autem sexto huius belli à Babylonijs evocati atque Baltassare interfecto reunitam Monarchiam in Persas transtulerunt, hoc est, Babylonico regno ad Medicum adiecto, & Cambyse rege Persarum in Syria mortuo, rebusque in Persia propter dolum Magorum nutantibus, titulum Monarchiæ Persicæ ad se rapuerunt.

Hoc tempore Darius Medus natus fuit annos sexaginta duos Daniel. 5. nascitur igitur anno decimo tertio regni patris Astyagis, cumque pater caperetur egit annum vicesimum tertium, tempore captæ Babylonis sub Cyro Persa pervenerat ad annum quinquagesimum, unde non incredibile est eum tunc temporis Cyro nepoti unicam suam filiam in matrimonium dedisse, ut Xenophon scribit, sed quod dotis nomine addiderit universam Mediam, non est verisimile, cum haberet duos masculos hæredes regni, nimirum Cyrum fratrem & Priscum Artaxerxem Ahasuerum filium. Apparet autem in prædictis sponsalibus ictum fuisse fœdus inter Cyrum Persam & Darium Medum, ut propter maiorem concordiam posteri ipsorum ita dividerent regna nimirum, hæredes Cyri Persæ retinerent sibi Persiam & Mediam, successores vero Darij Medi post obitum Baltassaris in Babylonia regnarent, & Euphrates utrinque regna ipsorum divideret atque terminaret: inde fortasse Xenophon sumpsit narrationem de Media dotis nomine Cyro Persæ donata, & vicissim huc respicere videtur, cum mentionem facit Babylonici regni, & sub nomine Cyri Persæ inquit, Cyaxari sive Dario Medo Babylone ædes electas esse & Palatia, quo haberet cum illuc veniret ubi tanquam in propria sua diverteret: Ac quod Darius Medus Baltassare vix mortuo illico in regnum Babylonicum successit, sicut Daniel Propheta inquit, certissimum signum est eum prius habuisse spem atque ius aliquod successionis.

Etsi enim Cyrus Persa occiso rege Labynito iure belli regnum Babylonicum tanquam suum sibi asserere, atque in præsens suis avunculis Dario Medo et Cyro fratri ipsius donare poterat, tamen consentaneum est, eum reliquisse illud Baltassari germano fratri Labyniti, tanquam legitimo hæredi & avunculis suis spem in futurum post mortem Baltassaris fecisse, ne si eum quoque regno expulisset, visus esset tyrannidem exercere, propter quam vindicandam Labynitum à Gobria accusatum armis fuerat adortus.

Interrea

Interea dum Darius Medus & Cyrus Medus ipsius frater occupant regnum Babylonicum, senatus septem principum Electorum in Persia, veritus ne Cambyse in Ægypto sive Syria defuncto, axioma Imperij rursus rediret ad Medos, iam constituerant regem Persarum Darium filium Histaspis: id quod & Cambyses brevi ante obitum suum sedulo mandaverat fieri, sic enim apud Herodotum inquit.

Quod reliquum est, Persæ, quodque è vita exiens effici mihi cupio atque opto, per regios Deos obtestor cum omnes vos, tum maximè Achæmenides qui adestis, ne per socordiam admittatis ut imperium rursus redeat ad Medos, sed si dolo occupatum est, illud dolo surripiatis: sin vi, præreptum recuperetis.

Hæc vobis facientibus & tellus fructum proferat uxoresque & pecora, pariant in omne tempus libertate fruentibus, secus facientibus contraria his quæ dixi imprecor, & præterea unicuique Persarum eum finem qualis mihi contigit. Hæc ille.

Et Herodotus ipsemet non solum huius simultatis inter Persas & Medos meminit, sed etiam apertè affirmat Persas imperio à Medis fraudatos fuisse, cum eodem libro in historia Orætis sic inquit: Post Cambysis obitum occupato à Magis regno Orætes cum esset Sardibus nihil ad modum de Persis, qui à Medis imperio fraudati erant, meritus est.

Cum igitur ferè eodem tempore cœperint regnare Darius Medus, & Darius filius Histaspis, hic nimirum in Persia ille in Babylonia, nam primus annus Darij Medi congruit cum secundo anno Darij Histaspis, ex cõfusione nominis Darij iterum magna confusio in Monarchia Persica, ut prius ex confusione nominis Cyri, apud Chronologos secuta est, dum res gestas utriusque Darij invicem commiscuerunt, quas diligentissimè discerni oportebat. Sed pergemus exponere quæ ad Dariũ Medum & Cyrum fratrem ipsius pertinent, postea quoque de Dario Histaspis dicemus.

Caput XXII.

DE REDITV IVDAEORVM EX BABYLONE IN PALESTINAM ET DE AEDIFICATIONE secundi Templi Hierosolymitani.

CVm Darius Medus occupasset regnum Babylonicum, ãno primo eius regni repetivit Edictum Cyri Persæ de reditu Iudæorum, iussisque eos per mille equites cum pace deduci, donec venirent Hierosolymam, sed dum Iudæi in apparatu reditus sui circiter duos annos consumunt, interim moritur Darius, ut tandem anno primo Cyri Medi redierint in pãtrium solum: vide super cap. 16. & 18. Incidit igitur Reditus Iudæorum ex Babylonia in Palestinam in annum Mundi. 3445.

Anno secundo à reditu Babylonico iacta sunt fundamenta Templi secundi Hierosolymitani, ubi cum vulgus lætis acclamationibus & Deo pro liberatione ex diuturna captivitate gratias ageret, & sibi de prospero rerum statu gratularetur, seniores qui primũ Templum viderant toti in lachrymas sunt resoluti, sive quod , circumquaq; ab adversarijs cincti, verebantur, ne opus inchoatum sua ętate absolvi posset, sive quod ex excidio primi Templi similem eventum de hoc secundo Templo animo præsagiebant: Solent etiam aliâs στοργαὶ erga patriam in senibus ardentiores esse, quam in iuvenibus nullo rerum usu exercitatis. 1. Esd. 3. Apparet autem longævitatem hominum tunc temporis adhuc fuisse excellentem, cum multi qui primum Templum viderant, etiam supervixerunt, cum fundamenta secunda Templi iacta essent, sunt enim ab excidio primi Templi usq; ad hoc tempus anni 86, & Mardocheum, necesse est valde senem fuisse, qui etiam ultra tempora Ahasueri vixit ut postea dicemus.

Porro ædificatio huius secundi Templi multos annos continuos à Samaritanis & alijs vicinis adversarijs impedita est, ut cum sub Cyro Medo cœperit, vix tandem sit absoluta sub Dario scilicet Longimano. 1. Esd. 5. Hic magna oritur discrepantia inter autores & de numero annorum quibus impedita est ædificatio , & de Dario cuius anno sexto Domus Dei completa est.

In Latinis Biblijs 3. Esd. 5. scribitur structuram Templi protractam esse per biennium usq; ad Darij regnum , qui locus manifestè corruptus est, legi enim debet, protraxerunt structuram usq; ad secundum annum Darij regis Persarum.

Iosephus scribit, opus ædificationis dilatum esse per novem annos usq; ad secundum annum Darij regis Persarum, lib. 11. Antiquit: cap. 3.

Funccius, & qui ipsum sequuntur, numerat annos sedecim à vicesimo tertio anno Cyri Persæ, quo putat iacta esse fundamenta secundi Templi, usq; ad secundum annum Darij , regis Persarum: Iosephus & Funccius in ea sunt opinione hunc Darium esse filium Histaspis , atq; anno secundo regni ipsius ædificationem Domus Dei iterum inchoatam & sexto anno completam esse.

Iohan. 2. Iudæi ad Christum inquiunt. Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ex hoc loco colligunt alij ab inchoatione ædificij huius Templi, usq; ad sextum annum Darij, quo completum est, elapsos esse annos quadraginta sex: Et hæc est vera series temporis quæsiti.

Cyrus enim Medus, cuius anno primo Iudæi redierunt in Palestinam, anno autem secundo inchoarunt ædificationem Templi, post fratrem Darium regnavit annos 22, Priscus Artaxerxes Assuerus annis 20. Assuero successit Darius Artaxerxes Longimanus, cuius anno sexto absolutum est Templum. 1. Esd. 6. Intervallum igitur à secundo anno Cyri Medi ad sextum annum Darij Artaxerxis Longimani præcise est annorum sex & quadraginta. Itaq; sub Dario Artaxerxe Longimano,

no, non sub Dario Histaspis filio completa est domus Dei, attestante id quoq; Philone & alijs autoribus dignissimis fide.

Esdras lib. 1. cap. 4. scribit, Iudæos duabus accusationibus in odiū regum Monarchiæ Persicæ adductos, atq; ita in ædificatione Templi impeditos fuisse. Etsi autem priorem accusationem in tempora Assueri collocet, & posteriorem sub Artaxerxe contigisse affirmet, tamen ordo textus indicat hanc accusationem sub Artaxerxe præcedere eam, quæ sub Assuero facta est, quod ante nos Funccius quoq; observavit.

Artaxerxes igitur qui publico Edicto ædificationem impedivit, est Cyrus Medus, Etsi enim hic ut Cyrus Persa populo Israel reditum in Palestinam concessit, Templumq; instaurari præcepit, & humaniter tractavit Iudæos, postea tamen inductus per consiliarios & adversariorum calumnias mandatum revocavit, & ædificationem Templi impedivit. Dictus est Artaxerxes, sive communi nomine regum Persicorum, sive propter bellicas artes, quibus celebris fuit, nam Artaxerxes significat magnum bellatorem, qualis fuit hic Cyrus, quem verisimile est post captum Astyagem patrem longo tempore castra Cyri Persæ secutum esse, deinde unà cum fratre Dario gessit bellum sexennale Scythicum, cumq; eodem occupavit regnum Babylonicum: opposuit se quoq; Dario Histaspis filio, postremò in secundo seu potius tertio bello Scythico (si Cyrus quoq; Persa post captum Astyagem arma in Scythiam tulit) à Tomyride regina trucidatus est, cum exprobratione nimij studij bellorum & crudelitatis, ut cap. 19. diximus. Et Artaxerxes commune nomen est regum Persicorum, sive Epitheton fortitudinis, quod promiscuè omnibus tribuebatur, ut dicerentur bellicosissimi, sicut apud nos omnes Imperatores Invictissimos appellare solemus.

Assuerus autem sive Ahasuerus est priscus Artaxerxes Assuerus Darij Medi filius, qui Cyro Medo patruo successit: Huic sententiæ etiam subscribit Rabi Salomon, et has duas accusationes contra Iudæos factas eodem ordine nobiscum collocat. primam refert ad Artaxerxem, quem dicit esse Cores sive Cyrum, sed non Cyrum Persam, verum Cyrum Medum.

Alteram factam esse asserit in principio regni Assueri, quem scribit Cyro Medo in imperio successisse.

Sunt qui per Artaxerxem hoc loco intelligi velint Cambysem, sed Iudei nec sub Cambyse redierunt in patriam, nec sub eodem fundamenta secundi Templi iecerunt, ut patet ex nostra Chronologia.

De loco Iohan. cap. 2. ideo aliqui dubitant, quia Iosephus scribit Herodem Magnum funditus sublato priore ædificio, quod Iudæi post reditum ex Babylone erexerant, novum Templum magnitudine, sumptu & arte stupendum Hierosolymis condidisse, idq; octo annorum spacio absolvisse. Et discipulos Christi huius structuræ magnificentiam cum admiratione summa Domino ostendisse æstimant. Math. 24. Marc. 13. Lucæ. 21.

Sed concedamus hoc ita esse, nec verisimile est Iosephum hæc fingere, quippe quæ in recenti memoria hominum adhuc fixa essent, ut negari haud possent: nihilominus tamen locus Iohannis manet immotus, & nihil pugnat cum Iosephi historia: Noverant Iudæi secundum Templum Domini in Hierusalem quatuor annorum spacio absolutum fuisse, nam anno secundo Darij denuò sive postremò inchoatum, & anno sexto eiusdem completum est. 1. Esd. 5. Noverant etiam Herodem in structura sua integrum consumpsisse octennium, verū Christo obiecerunt intervallum temporis à prima fundatione Templi secundi, usq; ad completionem eiusdem, & ex hac difficultate eventuum illum temeritatis arguere volebant, quod tale Templum intra triduum reædificare præsumeret, cuius structura se olim ad 46. annos extendisset. Etsi autem Christo nihil impossibile est, tamen ipse non de Templo lapideo, sed de Templo corporis sui solvendo & intra triduum excitando dixerat: Cum ergo tertia die resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixerat, & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixerat Iesus.

Caput XXIII.

DE DVCIBVS AC PONTIFICIBVS IVDAEORVM POST CAPTIVITATEM Babylonicam.

DE Ducibus ac pontificibus Iudæorum post captivitatem Babylonicam dictum est supra cap. 18. Hic tantum repetemus duas tabellas Philonis, de serie & temporibus, quibus populo præfuerunt, easq; brevi Scholio illustrabimus.

PHILO LIB. 2. DE TEMPORIBVS.

Soluta Captivitate Babylonica præfuerunt populo Duces ex domo David, & sacerdotes ex Levi seorsim usq; ad tempora Asmonai, & de his septuaginta seniores sic in scriptis reliquerunt: IESV filius Iosedech Magnus pontifex cum Barachia Zorobabele filio Meserebelis, filij Neri, ipse est Ioakin, anno primo Cyri venit Hierosolymam, qui secundo anno dum iacerent fundamenta Prophetantibus Aggai & Zacharia, ob mortem Darij Histaspis impeditum est opus, nec adiri potuit Cyrus, qui bello Tomyrico erat impeditus.

SCHOLION.

Quod Iesus Magnus Pontifex anno primo Cyri venerit Hierosolymam, id non de Cyro Persa, sed de Cyro Medo intelligendum esse supra demonstavimus cap. 16. & 18. Et fundamenta Templi iacta esse

anno

anno secundo reditus Iudæorum certum est. 1. Esd. 3. Sed tunc temporis prophetasse Aggeum & Zachariam non constat, nec verisimile videtur, idq; propter duas caussas.

Primum, Aggei cap. 1. scribitur. Hæc ait Dominus exercituum dicens, populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini per manum Aggei Prophetæ, dicens. Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Hic manifestè apparet Aggeum cœpisse prophetare nō secundo anno reditus Iudæorum, sed aliquot annis post, ut Iudæi interea potuerint ædificare & inhabitare domos laqueatas, cū econtra structura Templi maneret deserta, etsi fundamenta eiusdem iam dudum iacta erant, laqueatarum enim ædium tanta est magnificentia, ut tam brevi spacio unius aut sesqui anni non extrui queant, sicut liquet ex verbis Ciceronis lib. 1. de legibus, cum inquit, Magnificas villas & pavimenta marmorea & laqueata lecta contemno.

Et Zacharias Propheta cap. 2. inquit, Manus Zorobabel fundaverunt domum istam & manus eius perficient eam: Inde quoq; constat cum Zacharias inciperet prophetare, iam dudum fundamenta Templi iacta fuisse, ac Iudæos ab ædificatione eius iam duabus accusationibus fuisse impeditos, post eas enim tandem perfecta est Domus Dei per manus Zorobabel, sicut Deus ipsemet hic per Prophetam promisit.

Secundò, Certum est ex cap. 5. & 6. lib. 1. Esdræ, Aggeum & Zachariam prophetasse sub illo Dario rege Persarum, sub quo tandem ædificatio Templi processit & absoluta est.

Ille autem Darius non est Darius Medus aut Darius Histaspis, sed Darius Artaxerxes Longimanus, & ab anno secundo reditus Iudęorum usq; ad secundum annum Longimani elapsi sunt anni 42. Tanto igitur tempore serius prophetarunt Aggeus & Zacharias, quam Philo scribit: Hinc Philo suum errorem quasi per transennam intuens, fingit eosdem Prophetas duabus vicibus & sub reditum Iudæorum & sub Longimano iterum vaticinatos esse.

Porrò quod idem opus Templi ob mortem Darij Histaspis & absentiam Cyri in bello Tomyrico impeditum fuisse asserit, utrumq; cum serie temporum pugnat: Diximus supra cap. 18. Iudeorum profectionem ex Babylonia in terram Chanaan propter apparatus difficultatem & mortem Darij Medi per biennium impeditam esse. Hanc historiam de morte Darij Medi ad mortem Darij Histaspis, & de impedimento reditus Iudæorum ad impedimentū ędificationis Templi malè detorsit Philo, undecunq; sumpserit hanc narrationē, sive à septuaginta senioribus, sive aliunde. Nam sub reditum Iudæorum Darius Histaspis vix annis integris quatuor regnavit, atq; inde adhuc regnavit annis 32. quanto tempore eum Philo ante mortuū fuisse putat. Et Cyrus Medus viginti duobus annis post in postremo bello Tomyrico trucidatus est: nec de Cyro Persa verba Philonis hic vllo modo intelligi possunt, quod

is tunc temporis bello Tomyrico impeditus fuisset,qui duodecim annis ante iam obierat mortem.

PHILO.

Successit interfecto Cyro Assuerus Priscus Artaxerxes, qui bellum parabat contra Artaxat factionis Tomyricæ fautorem, qui & ad defectionem compulerat Assyrios,Medosq; ac Persas: & Assuerus intra Babyloniam sese continebat. Ad eum Iesu pontifex, quia Duces Syriæ contra Hebræos scripserant, se contulit, relicto in pontificatu anno duodecimo Assueri,Ioakin filio,qui & Eli. Ergò quia eo anno erat Assuerus occupatus bello,non est auditus Iesu. Victor cum sequente anno missum à se Holofernem à Iudæis truncatum audisset, edicto publico vetuit Templum erigi.

SHOLION.

Priscum Artaxerxem Assuerum ultionem sumpsisse de factione Tomyrica,quæ per dolum patruum Cyrum Tomyridi tradiderat ex Metasthene quoq; manifestum est, sed non addit annum, quo historia ista contigerit. Porrò cum ea quæ de Iudith & Esther in sacris literis scribuntur in unum eundemq; annum duodecimum Prisci Artaxerxis Assueri incidant,facilè perspicitur, narrationem de Iudith esse Tragicocomædiam veræ historiæ Esther, dequa infra in vita Assueri prolixius dicemus. Totus hic textus aliâs apté convenit,cum nostra Chronologia.

PHILO.

Successerunt duo filij eius,qui de imperio contendentes, Dario Longimano,qui votum relaxandi edictum patri emiserat, septimo mense victoria cessit. Anno eius primo reversus Iesu,hortantibus ijsdem Prophetis, ædificare Templum annixus est. Gessit ergo Iesu pontificatum primum usq; ad duodecimum annum Assueri Prisci annis 36. Ioakin filius eius in absentia annis. 8. Is & Iudith gesta conscripsit, & anniversariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit. Idem Iesu reversus prosecutus est pontificatum annis 20. usq; ad vicesimum annum Longimani, natus annos 130.

SCHOLION.

Metasthenes hos duos filios Assueri nominat,Cyrum Artabanum & Darium Longimanum. De Dario autem,qui nuncupavit votum reædificandi Hierusalem,triplex est opinio.

Prima est Iosephi,qui scribit hunc Darium fuisse filium Histaspis, sed hæc opinio ideo reijcitur,quia nec anno primo Darij Histaspis Iudæi redierunt Hierosolymam, nec anno secundo eiusdem iacta sunt fundamenta Templi,nec nomina regum persicorum,qui numerantur a Græcis à Cambyse usq; ad Darium Artaxerxem Longimanum conveniunt cum sacra scriptura.

Deinde

Deinde quod Philo hunc Darium putat fuisse Darium Longimanum, qui sanè fuit filius Assueri & Esther, non convenit cum lib. 3. cap. 4. Esdræ.

Nam ibi scribitur Zorobabel Darium huius voti admonuisse antequam Iudęi redirent ex captivitate Babylonica, sed à reditu Iudæorum usq; ad Longimanum etiam iuxta Philonem plus quam quadraginta anni sunt elapsi, cumq; tanto temporis spacio Zorobabel interea in Iudæa populo præfuerit, quomodo eodem loco apud Esdram inter iuvenes cubicularios sive custodes corporis Darij computatur? Certè si Zorobabel anno decimo ante solutionem captivitatis Babylonicæ natus est, ut lib. 1. cap. 13. ex Philone ostendimus, egit anno primo regni Darij Longimani annum ætatis septuagesimũ quartum. Nequaquam igitur inter iuvenes numerari potest.

Tertiò, Nostra igitur opinio sive potius sententia est, illum Dariũ esse Dariũ Medum, eumq; hoc votum in occupatione regni Babylonici nuncupasse, cumq; alijs negocijs recens adepti regni deditus voti sui oblitus fuisset, eum iterum data occasione eius admonitum à Zorobabele fuisse. Etsi autem nec sub hoc Dario Iudæi redierint Hierosolymã, quippe qui altero anno post occupatum regnum Babylonicum mortuus est, adeo ut etiam mors eius impedimento fuit Iudæis, ne redire possent, tamen hæc sententia aptè convenit cum loco citato Esdræ. Si verò Longimanus quoq; votum præstitit de relaxando Edicto patris, necesse est illud à priori voto Darij Medi longè discernere.

Reliqua præcisè conveniunt cum nostra Chronologia.

PHILO.

Et successit Ioakin item secundò pontifex annis 48 usq; ad duodecimum annum Magni Artaxerxis Assueri, qui gesta Esther scripsit, & memoriam Phurim instituit, hortante illum per literas Mardochęo, qui annis 18 ætatem Isaac superavit: Tertius pontifex successit Eliasib annis 21 usq; ad annum 33 Magni Artaxerxis: Hic primus posuit Hierosolymis portam gregis.

SCHOLION.

Si Ioachim post obitum patris adhuc annis 48 præfuit sacerdotio, ut nullum est dubium, extenduntur anni illius usq; ad decimum tertium annum Darij Nothi. Nam suscepit pontificatum anno vicesimo primo Longimani, sub quo præfuit annis 35: reliquos tredecim annos præfuit sub Dario Notho, qui hoc loco à Philone Artaxerxes Assuerus appellatur. Ac diligenter observandum est deinceps Philonem annos Darij Nothi (quem hic Artaxerxem Assuerum appellat) cum annis Artaxerxis Mnemonis una serie coniungere atq; numerare, usq; ad Artaxerxem Ochum omisso nomine Mnemonis, sicut etiam Arsamis penultimi regis Persarum nullam mentionem facit. Si igitur novendecim annis Darij Nothi addantur anni triginta septem Artaxerxis Mnemonis, ut in universum regnarit annis 56, tunc anni 21 Eliasib finirentur

anno

annotricesimoquarto Darij Nothi sive Magni Artaxerxis Assueri. Nam hic Philoni deficit annus unus, qui tempus sacerdotij Eliasib tantum ad annum 33 eiusdem regis extendit: sed quia Artaxerxes Mnemon seorsim regnavit annis 37, incidit annus ultimus pontificatus Eliasib in annum decimum quintum regni Artaxerxis Mnemonis.

De Mardochæo & memoria Phutim infra in historia Esther dicetur.

PHILON.

Quartus Pontifex Ioada gessit pontificatum annis 23. & totidem Ioathan, usque ad finem Ochi Artaxerxis. Vltimus sub Persis fuit sextus Pontifex Iaddua annis decem.

SCHOLION.

Adde Ioadæ & Ioachan alterutrique sigillatim annum unum, ut Ioada gesserit pontificatum annis 24. & totidem Ioathan, ita anni utriusque pertingunt usque ad finem Ochi Artaxerxis, & decennium Ladduæ usque ad adventum Alexandri Magni ad urbem Hierosolymam.

PHILO.

Porrò in Captivitatis Solutione Zorobabel primus Dux præfuit annis 58. Resa Mesullam 66. Iohanna Benresa 53. Iudas primus cognomine Hyrcanus. 14.

SCHOLION.

Hanc seriem Ducum Iudaicorum post captivitatem Babylonicam quoque supra dedimus cap. 18. eamque anno primo Darij Medi inchoari oportere demonstravimus, nam sic per omnia convenit cũ nostra Chronologia.

Caput. XXIIII.

POstquam de Dario Medo & Cyro fratre ipsius dicere exorsi sumus capite vicesimo primo, recensuimus deinceps per duo sequentia capita ea quæ in initium regni ipsorum inciderunt, ut sunt victoria de Apanda rege Medorum, occupatio regni Babylonici, Reditus Iudæorum ex Babylone in Palestinam, Ædificatio secundi Templi Hierosolymitani: Ostendimus etiam seriem Ducum & pontificum Iudaicorum inchoandam ab anno primo Darij Medi post occupatum regnum Babylonicum, cumque ipse Darius anno secundo eiusdem regni obierit mortem, & Cyrus frater adhuc solus annis 22 regnaverit, nunc reliquam eius historiam pertexemus.

Dario Medo & Cyro fratri ipsius oppositum fuisse à Persis Darium filium Histaspis supra diximus, idque eam ob caussam ne axioma imperij iterum rediret ad Medos, inde perpetuæ simultates atque iræ inter

Persas

Persas & Medos extiterunt, donec sub Artaxerxe Longimano Persarum potentia deniq; destructa est, & summum imperium Monarchiæ Persicæ ad stemma Medorum rediit.

Anno igitur sexto Cyri Medi dum solus regnaret, qui est annus nonus Darij Histaspis, grave bellum inter Persas & Medos ortum est, in quo Darius Histaspis post longam obsidionem tandem vicesimo mense opera & fide Zopyri Babylonem cepit, & Cyri Medi tunc in Babylonia regnantis victor extitit. Post hanc victoriam Darius Histaspis expeditionem adversus Scythas suscepit, in qua consentaneum est & hunc Cyrum unà militasse, cum quod Dario potuisset esse suspectus de rebellione si domi relinqueretur, tum quod Scythicarum rerum erat peritissimus, qui antea totum sexennium ibidem exercitus ductaverat. Sed nec in hoc Scythico bello adhuc perijt, verum anno vicesimo secundo regni sui, cum postremum bellum Scythis intulisset.

Caput XXV.

DE PRISCO ARTAXERXE AHASVERO.

PRiscus Artaxerxes Assuerus Darij Medi filius successit Cyro patruo in regno Babylonico, etsi enim Darius Histaspis domito Cyro Medo Babylonicum regnũ iam immediatè iure belli ad suos transferre poterat, tamen proculdubio Cyro Medo & Assuero nepoti eiusdẽ ex fratre illud possidendum reliquit, cum quod Persæ consueverant habere in honore filios regum, & illis principatũ parentibus eorundem ademptum restituere, ut supra ex Herodoto ostendimus, tum quod uterq; & Cyrus & Assuerus iam gravi & diuturno bello cicurati ipsum Dariũ victorem pro Domino superiore libenter agnoscebant. Ac præterea ne quid periculi regno Persico ab his regibus Babylonicis amplius timendum foret, Darius muros urbis Babylonis circumcidit, & portas omnes amolitus est, quorum neutrum Cyrus Persa fecerat eidem prius à se captæ, atq; eosdem reges muniendi sui caussa in Metropolim Persiæ Susam collocavit: Nam priscum Artaxerxem Assuerum & Darium Artaxerxem Longimanum ibidem regiam sedem habuisse constat ex sacra scriptura Esther. 1. 2. Esdræ. 2.

Hic igitur priscus Artaxerxes Assuerus ultionem sumsit de factione Tomyrica, quæ patruum Cyrum per dolum Tomyridi prodiderat. Atq; hinc constat illum Cyrum qui à Scytharum regina Tomyride trucidatus est, non esse Cyrum Persam, sed Cyrum Medum fratrem Darij Medi: ideoq; huius prisci Artaxerxis Assueri Darij Medi filij patruũ à Metasthene nominari. Hinc etiam sequitur narrationem Xeno-

phontis de obitu Cyri Persæ veriorem esse quam Herodoti.

Idem priscus Artaxerxes Assuerus est maritus Esther, ex qua genuit Darium Artaxerxem Longimanū, ut uno consensu omnes Ebræi affirmant, licet Thucydides scribat Longimanū Xerxis filium fuisse.

Caput XXVI.

DE HISTORIA IVDITH ET ESTHER.

SI narratio de Iudith est vera historia, ut multi gravissimi autores existimant (quamvis plures Tragicocomædiam esse arbitrentur) contigit ea historia anno duodecimo huius prisci Artaxerxis Assueri, sicut Philo scribit, ac si secundum opinionem Iohannis Annij Viterbiensis tantum constaret, hunc Assuerum quoqꝫ Nabuchodonosorem appellatum fuisse, deinceps reliqua omnia aptissimè convenirent cum analogia temporum & nostra Chronologia.

Primum enim ex Metasthene certum est hunc Assuerum ultionem sumsisse de factione Tomyrica, cuius Dux sive fautor secundum Philonem, fuit Arthaxat, qui in libro Iudith Arphaxat appellatur, sed idem est nomen, nisi quod Arthaxat vicio librariorum scriptum est pro Arphaxat. Nam apud Ebreos facillimo ductu th pro ph scribitur, quamvis nemini, qui vel extremis tantum labijs vix degustavit Ebræū Alphabetum, ignotū esse debebat litera Pe forma pingendi literæ Tau similius esse quàm ovum ovo, tantum in fine & non in medio dictionum usurpari.

Secundò, Expressè quoqꝫ nominatur à Philone Holofernes princeps militiæ Nabuchodonosoris regis Assyriorum, qui in eadem historia à Iudith trucidatus esse scribitur.

Tertio, eodem libro Iudith cap. 5. Achior Dux filiorum Ammon ad Holofernem inter reliqua de Iudæis sic inquit. Ante hos annos cum recessissent à via, quā dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Hierusalem, ubi sunt sancta sanctorum. Nunc ergo mi Domine perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei ipsorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ, si vero non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium universæ terræ.

Ex

Ex hac narratione constat hanc historiam, si est historia, contigisse post finitam captivitatem Babylonicam, & reditum Iudæorum ad urbem Hierosolymam, nam & hic Assuerus annis 22 post reditum Iudæorum in Babylonia regnare cœpit.

Quartò, convenit quoque aptè nomen pontificis Iudæorum, qui tunc temporis Hierosolymis summo sacerdotio fungebatur. Nam cum Iesus se ad Assuerum Babylonem contulerat, quod Duces Syriæ contra Ebræos accusationem scripserant reliquerat interim pontificatum Ioachim filio, ideo capite 15 eiusdem libri scribitur Ioachim summum pontificem de Hierusalem venisse in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Iudith, atque illi de parta celebri victoria & trucidato hoste Holoferne gratularetur.

Hæc omnia aptissimè, ut dixi, convenirent cum analogia temporum & nostra Chronologia, si modo constaret Assuerum quoque dictum fuisse Nabuchodonosorem.

Sed cur potius inclinem in sententiam eorum, qui narrationem de Iudith Tragico comœdiam esse statuunt, hac potissimum ratione adducor: Eodem anno, nimirum duodecimo Prisci Artaxerxis Assueri, quo historia Iudith contigisse scribitur, contigit quoque historia Esther secundum Philonem. Etsi enim maxima est diversitas opinionum, ad quæ tempora regerenda sit historia Esther, tamen postea perspicuè ostendemus, eã nec sub Cambyse, nec sub Dario Histaspis, nec sub Xerxe, nec sub Artaxerxe Longimano, nec sub Dario Notho contigisse, ut alij atque alij Chronologi volunt, sed eandem necessariò ad regnum Prisci Artaxerxis Assueri referendam esse.

Vna igitur & eadem est historia Iudith & Esther, sed altera vera, altera de vera in modum Tragicocomædiæ conficta. Narrationem de Esther esse veram historiam nemo dubitat, siquidem & liber Esther est in Canone Hagiographorum. Liber Iudith etsi à Synodo Nicena quoque in numero sanctarum scripturarum computatus est, tamen semper inter Apocrypha remansit, autore Hieronymo in prologo Galeato super libros Regum. Nam quod idem in prologo super librum Iudith scribit, Apud Ebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur, cuius autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur: ipse textus ostendit pro Hagiographa Apocrypha legendum esse: Hagiographorum enim autoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt maximè est idonea, sed Apocryphorum nequaquam, consentaneum itaque est veram historiam Esther in libro Iudith per fictam Tragicocomædiam exprimi, idque hanc ob caussam:

Aman Agagites supremus principũ in aula regis Ahasueri, idemque acerrimus hostis Iudæorum impetraverat à rege horrenda edicta, quæ mandabant deleri universum nomen Iudæorum. Esther. 3. Sed econtra Esther consilio Mardochei impetravit alia edicta, quibus permittebatur Iudæis, ut se vindicarent de omnibus hostibus ubicunque locorum

ipſis inſidias paraſſent, hoc permiſſu regis Iudæi uno die 75000 hoſtium ſuorum occiderunt. Eſther. 9. Pro hac inſigni victoria cum annuatim feſtivam Gratiarum actionem Deo inſtituere vellent, abſteruit eos metus Perſarum & Medorum, apud quos propter tantam laniénam ſuorum in magna invidia erant. Ne autem tantum beneficium Dei omninò taceretur, pius aliquis & prudens vir id ipſum per Tragicocomædiam fictis ſive per fictionem mutatis temporum & perſonarum nominibus expreſſit, & quotannis in perpetuam rei memoriã feſtiva Gratiarum actione concelebrandum propoſuit: Sequenti vero tempore cũ invidia Perſarum & Medorum ſive etiam Aſſyriorum iam penitus deferbuiſſet, Ioachim pontifex Iudęorum hiſtoriam Eſther, utut acta erat, vera narratione conſcripſit & dies Purim de hac victoria ſingulis annis celebrandos inſtituit, idq; hortatu Mardochæi. Eſther. 9.

Quiſquis autem ille fuit, qui primus ædidit librum Iudith, certè duabus rebus lectorem præmonere voluit, ſe non hiſtoriam veram, ſed de vera hiſtoria fictam Tragico comædiam texere.

Primum enim coniungit tempora diverſiſſima, quæ coniungi nec debent nec poſſunt, cum ſcribit Arphaxat regem Medorum qui condidit Egbathana cum Nabuchodonoſore rege Aſſyriorum bellum geſſiſſe, nam ſi Arphaxat, ut ſimilitudo nominis oſtendit, eſt Arbaces, qui poſt diviſionem regni Aſſyriorum primus Medis & Perſis imperavit, & ſub quo, autore Diodoro, Egbathana condita ſunt (licet Herodotus à Deioce tandem condita eſſe affirmet) reperitur intervallum temporis ab obitu Arbacis uſq; ad Nabuchodonoſoris primi regni initum 141. annorum, quibus ſi adieceris annos 35. uſq; ad Nabuchodonoſorem ſecundum prodeunt anni 176. Iſta ergo diverſitas temporum veritati hiſtoricæ in libro Iudith omninò reſiſtit.

Secundò, Concinna fictio nominum ſive perſonarum in libro Iudith quoq; manifeſtè oſtendit Tragicocomædiam inibi nobis proponi. Nam Iudith eſt Iudæa hoc eſt, vera Eccleſia Dei, quæ ſola verè agnoſcit, confitetur & celebrat Deum. Et eſt vidua deſtituta omnibus humanis præſidijs. Holofernes verò ſignificat omnes prophanos principes & Tyrannos, qui Eccleſiam Dei aperta vi & clandeſtinis machinationibus delere nituntur: Sed Eccleſia Dei modo contineat ſe intra Bethuliam, quę vox virginem ſignificat, maneat igitur virgo, nec ſe polluat ſpirituali adulterio & ſcortatione Idolatriæ & falſæ doctrinæ, & reſiſtat hoſtibus ieiunijs & deprecationibus cum illi caſtra movent uſq; ad Dothaim, hoc eſt contra legem ſive verbum Dei, his præſidijs adiuta auſpice Deo proculdubio pręclaras victorias de omnibus perſecutoribus ſuis reportabit. Hæc dulciſſima imago in Tragicocomædia Iudith de Eccleſia Dei continetur, cumq; eadem Eccleſia Dei ſub Eſther quoq; tam mirabiliter contra prophanum Tyrannum Aman ſit defenſa, nec Iudæi hiſtoriam Eſther publicè proponere audebant, interim eandem hiſtoriam ſub nomine Iudith in ſolatium omnium piorum crebrò repręſentabant.

Caput

Caput XXVII.

HISTORIAM ESTHER NEC SVB CAMBYNE NEC SVB DARIO HISTASPIS, NEC SVB XERxe, nec ſub Artaxerxe Longimano, nec ſub Dario Notho, ſed ſub priſco Artaxerxe Aſſuero contigiſſe.

NIcolaus de Lyra ſcribit Nabuchodonoſorem in libro Iudith eſſe Cambyſem filium Cyri primi regis Perſarum, quod ſi ita ſit, ſequeretur & hiſtoriam Eſther ad Cambyſem referendam eſſe, quia hiſtoriam Iudith & Eſther unam atque eandem eſſe diximus: Sed cum tempore Cambyſis Iudæi nondum redierant ex Babylonico exilio, & Iudith. 5. apertè ſcribatur eam hiſtoriam contigiſſe poſt reditum Iudæorum ad urbem Hieruſalem, iſta diſcrepantia temporum opinionem Lyræ funditus evertit.

Funccius refert eandem hiſtoriam Eſther ad Darium filium Hiſtaſpis, verum & hanc opinionem non ſolum refellit diſſimilitudo nominum & ſeries temporum annotata à Metaſthene & Philone, ſed etiam linea cognationis regum Perſicæ Monarchiæ: Philo enim narrationem de Iudith (quæ eſt Tragicocomœdia de hiſtoria Eſther) refert ad priſcum Artaxerxem Aſſuerum, qui ultionem ſumpſit de factione Tomyrica, & Metaſthenes addit cauſſam, quod illa factio patruum Aſſueri Tomyridi per dolum tradiderat: conſtat autem Cyrum Medum qui à Tomyride occiſus eſt huius Aſſueri patruum fuiſſe, cui & Aſſuerus in regno ſucceſſit: Darius vero Hiſtaſpis nec Cyrum Medum patruum habuit, nec eidem ſed Cambyſi Cyri Perſæ filio ſucceſſit.

Sub Xerxe vero hiſtoriam Eſther contigiſſe, nemo ſanè ex claſſicis autoribus, quod ego ſciam, affirmavit, niſi quis ex Thucydide ratiocinari velit Xerxem fuiſſe maritum Eſther, quod idem ſcribit Artaxerxem Longimanum eſſe Xerxis filium, quem Iudæi ex Eſther quidem natum eſſe volunt, ſed non patre Xerxe, verum Priſco Artaxerxe Aſſuero.

Ioſephus nititur geſta Eſther referre ad tempora Darij Artaxerxis Longimani, cuius ſententiã cur non approbemus in cauſſa eſt quod populares ipſius Iudæi, ut iam dictum eſt, omnes uno ore aſſeverant Darium Artaxerxem Longimanum eſſe filium Eſther, quem genuit ex priſco Artaxerxe Aſſuero, unde nequaquam idem Longimanus maritus & filius Eſther eſſe poteſt.

Philo ait Ioachim cum ſecundò pontificatui præeſſet annis 48. uſque ad duodecimum annum Magni Artaxerxis Aſſueri, geſtra Eſther conſcripſiſſe, ſed non addit ea ipſa eodem tempore accidiſſe. Dictum eſt au-

tem supra capite 23. Darium Nothum à Philone nominari Artaxerxem Assuerum: Si igitur aliquis affirmare velit gesta Esther sub Dario Notho accidisse, facilè convincitur erroris per ætatem Mardochei, quæ ut concedatur etiam maior fuisse quàm à Philone traditur, tamen ad duodecimum annum Darij Nothi non pertingit.

Necessariò itaqꝫ historiam Esther sub nullo alio rege Monarchiæ Persicæ, quam sub prisco Artaxerxe Assuero contigisse affirmandum est: Nec video quid amplius huic sententiæ opponi possit, nisi fortassis aliquis in dubium trahere velit, an tempore Darij Histaspis prisco Artaxerxi Assuero in Susis dominanti, tanta potẽtia fuerit, ut imperaverit centum viginti provincijs, & in his Medis & Persis, ut Esther. 1. scribitur.

Huic dubitationi oppono locum Danielis cap. 6. ubi textus ita inquit: Placuit Dario Medo, & constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo, ne rex sustineret molestiam, cum igitur priscus Artaxerxes Assuerus filius huius Darij post Cyrum patruum in eodem regno successerit, quis dubitabit eum easdem centum viginti satrapias sive provincias, quoqꝫ sibi subiectas habuisse?

Græci valde extollunt potentiam regum Persicorum, qui Cyro Persæ usqꝫ ad Darium Artaxerxem Longimanum ordine successerunt, quia nullam habuerunt notitiam Medorum, ac nisi regum Medorum nomina, tempora & gesta quædam in sacris Biblijs & à Metasthene atqꝫ Philone annotata essent, forent quoqꝫ adhuc nobis in hodiernum usqꝫ diem ignota, sumus autem in ea opinione, potentiam regum Medorum, qui è mascula linea Astyagis descenderunt, non fuisse minorem quàm Persicorum: sicut et eventus postea comprobavit, cum sub Dario Artaxerxe Longimano Persarum potentia à Medis omnino est destructa, & axioma Monarchię Persicę ad eosdem redijt, nec interim diffiteor Medos semel sub Cyro Persa, & deinde iterum sub Dario Histaspis magnam cladem à Persis accepisse.

Caput XXVIII.

DE MARDOCHEO.

De Mardochei natalibus, & rebus gestis legatur liber Esther, cuius patruus fuit, cuiusqꝫ consilio Esther populum Iudaicum ex præsentissima internecione apud Assuerum liberavit: Sed hic de ætate Mardochei iterum diversissimæ opiniones oriuntur, sicut sub diversissimis regibus Monarchiæ Persicæ ab alijs atqꝫ alijs vixisse scribitur.

Lyra

Lyra eum primo anno Assueri ducentos quinque annos iam exegisse ratiocinatur, postea mutans sententiam & Rabi Salomonis vestigijs insistens centum annos ei attribuit cum Assuerus regnare cœpit.

Philo totum curriculum vitæ ipsius centum nonaginta octo annis includit, ut octodecim annis ætatem Isaac superaverit qui vixit annis. 180. Gen. 35.

Etsi autem nihil certi constat de exordio & exitu vitę Mardochei, tamen longævitas illius ex collatione temporum utcunque ostendi potest, hoc modo.

Mardocheus cum Iechonia rege in Babyloniam transmigravit, Esther. 2. A transmigratione Iechoniæ usque ad captam urbem Hierusalem sunt anni 11. 4. Reg. 24. Postea secuta est captivitas totius populi Iudaici in Babylonia annis 70. Hierem. 25. 2. Paral. 36. 1. Esd. 1. A primo anno finitæ captivitatis Babylonicæ, qui est & primus annus Monarchiæ Cyri usque ad Darium Medum, sunt anni 12. Darius Medus regnavit annis 2. Cyrus frater ipsius annis 22. usque ad Assuerum, sicut hæc omnia superius suo quæque loco latius demonstrata sunt.

Summa annorum à Transmigratione Babylonica usque ad Assuerum 117. Iam si iuxta Lyram fingas Mardocheum fuisse decem annorum tempore Transmigrationis, sequitur eum initio regni Assueri natum fuisse annos 127. Adde adhuc duodecim annos Assueri, quo tempore historia Esther & Mardochei contigit, erit ætas illius tunc temporis annorum 139. Porro si ætas ipsius fuit annorum 198. secundum Philonem adhuc post illos annos 139. supervixit annis 59. & paulo ante tempora Darij Nothi sub Artaxerxe Longimano diem extremum obijt Anno Mundi 3537.

Burgensis superstitiosam inquisitionem ætatis Mardochei omninò negligendam putat, propter ambiguitatem textus Esther. 2. Erat vir Iudæus (inquit textus) in Susis civitate vocabulo Mardocheus, filius Iair, filij Semei, filij Cis de stirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ierusalem cum Iechonia rege. &c. Hic enim relativum qui, tam ad Cis proavum Mardochei, quàm ad Mardocheum ipsum referri potest, atque ita convelli potest tota supputatio ex hoc loco extructa. Hæc ille.

Sed cum noster calculus cum Philone sic satis conveniat, non dubito eum tutò hic retineri posse.

Caput



Caput. XXIX.

DE DARIO FILIO HYSTASPIS, III REGE PERSARVM.

HActenus per octo capita tractavimus historiam eorũ regum Monarchiæ Persicæ, qui per masculam lineam ab Astyage Medo orti sunt, ut Darij Medi, Cyri fratris & prisci Artaxerxis Assueri filij ipsius, quorum nomina extant in sacra scriptura, & apud Metasthenem atq; Philonem. Nunc redeamus ad illos reges Monarchiæ Persicæ, qui à Græcis autoribus numerantur.

Cambyse mortuo & occisis Magis, hinnitu equi declaratur rex Persarum Darius filius Hystaspis: Hic ad stabiliendum imperium duas filias Cyri Persæ duxit in uxores, Atossam & Artistonam, & regnavit annis 36. Integra historia rerum gestarum ipsius extat apud Herodotum, ac nos præcipuas aliquot historias, quæ in tempus ipsius incidunt ordine recensuimus in Chronologia nostra, sed plurimum iuvabitur lector. Si adiunxerit Chronologiam Herodoti & Thucydidis æditam à C.V. Davide Chytræo, in qua aptissima serie tempora regum Persicorum et rerum gestarum eorundem secundum Græcos autores disposuit, & maxima ex parte nobiscum consentit. Diligenter autem observandum est ne pro Dario Hystaspis filio Darium Medum aut econtra accipiamus, nam eodem ferè tempore hic ad regnum Babylonicum ille ad Persicum pervenit, ideoq; antiquissimi scriptores differentiæ caussa alterum Darium Medum, alterum Darium Hystaspis appellarunt.

Iosephus scribit Zorobabel, qui populum Iudaicum ex captivitate Babylonica in terram Chanaan reduxit, satellitem fuisse Darij Hystaspis, eumq; iam regem declaratum admonuisse voti, quo se, dum privatus adhuc erat, obligaverat, si adipisceretur potestatem regiam, denuo conditurum Hierosolymam, & ibi Templum Dei instauraturum, restiturumq; vasa sacra olim per Nabuchodonosorem inde sublata & Babylonem perlata, ac Darium admonitione Zorobabel commotum non solum Iudæis reditum concessisse, sed etiam abeuntes in itinere, & in patriã reversos in ædificatione magnis sumtibus liberaliter iuvisse, sumsit hæc Iosephus ex 3. Esd.3. & concinnè ad suum institutum adaptavit, sed nos eadem Dario Medo supra attribuimus, nec consentit Iosephi narratio cum serie temporum, quòd scribit Zorobabel ab urbe Hierusalem ad Darium Hystaspis in anno primo regni eiusdem Persiam regressum, eumq; tunc temporis voti admonuisse, cum impediretur ædificatio Templi, cum ex nostra Chronologia constet Zorobabel anno quarto Darij Hystaspis vix tandem ad urbem Hierosolymam populum Iudaicum reduxisse, & ędificationem Templi eodem tempore nondum fuisse inchoatam.

Caput

Caput. XXX.

DE XERXE IIII. REGE PERSARVM.

XErxes filius Darij Histaspis successit patri in imperio, regnavit annis 20. Historia de maxima expeditione ipsius in Græciam suscepta, & bello infeliciter gesto legatur apud Herodotum aut Iustinū atq; alios: tandem ab Artabano præfecto suo occisus est, & cum ipso posteritas Cyri Persæ regno Persico excidit, nam summa rerum redijt ad solum Longimanum Darij Medi nepotem tanquam legitimum hæredem: unde Iudæi post Cyrum Persam tantum tres Persicos reges numerant, videlicet Cambysem, Darium filium Histaspis & Xerxem, sicut cum Cyro quatuor reges Persici numerantur apud Danielem cap. 11. Post hos enim reges, ut dictum est, Persarū Monarchia ad stemma Medorum redijt.

Iosephus asserit Esdram & Nehemiam sub Xerxe redijsse Hierosolymam, hunc anno vicesimo, illum anno septimo regni eiusdem, quod apertè pugnat cum sacra scriptura: nam hæc sub Dario Artaxerxe Longimano contigerunt.

Porro Xerxis adventum in Grætiam colloco in annum primum Olympiadis 75. cum consensu omnium Chronologorum authenticorum, hic annus congruit cum anno regni Xerxis septimo, qui erat annus à condito Mundo 3484, sic enim de tempore huius Expeditionis Herodotus inquit.

Dum Darius Histaspis molitur Expeditionem in Ægyptios, declarat prius regem filium Xerxem, ipse vero altero anno in apparatu bellico moritur, ac Xerxes à debellata Ægypto altero anno post obitum patris per totum quadriennium comparavit exercitum, atq; eius apparatum quinto anno incunte adversus Græciam movit: Nam ex hac narratione liquidò apparet.

Primum Xerxem duos annos cum patre regnasse, & Darium patrem ipsius ultra annos 36 regni sui adhuc duobus annis supervixisse.

Secundò quintum annum quo Xerxes exercitum adversus Græciam movit esse annum regni ipsius septimum, duos enim regnavit cum patre, altero, hoc est proximo anno non secundo anno post obitum patris debellavit Ægyptum. hic est tertius annus Xerxis: eodem anno & tribus sequentibus comparavit exercitum, qui cum superioribus duobus coniuncti faciunt annos sex, septimo autem anno incunte hunc exercitum adversus Græciam movit. Quod igitur Eusebius scribit Xerxem quinto anno regni exercitum trans Hellespontum in Græciam du-

xiſſe, error eſt ortus ex verbis Herodoti malè intellectis, ac fortaſſe Euſebius ſecutus eſt Thucydidem, apud quem lib. 1. idem error extat, ait cū Xerxem decimo anno à pugna Marthonia in Græciam veniſſe, cum à triceſimo primo anno Darij Hiſtaſpis, quo contigit pugna Marathonia, uſq; ad ſeptimum annum Xerxis duodecim annos numerari omninò ſit neceſſe.

Vnum adhuc obiter lectorem hîc admoneo, annum ſeptimū Xerxis partim ad quartum annum Olympiadis 74. partim ad annum primum Olympiadis 75. pertinere. Nam anno ſeptimo regni ſui ineunte, hoc eſt in vere eiuſdem anni movit exercitum verſus Græciam, quod tempus ad Olympiadem 74. complendam referendum eſt, menſe autem Iunio tempore Solſtitij æſtivi, quo nova Olympias, hoc eſt 75. celebrabatur ad Thermopylas venit, & trecentos Lacedęmonios unà cum rege Leonide trucidavit.

Caput XXXI.

DE DARIO ARTAXERXE LONGIMANO V. REGE PERſarum.

HIc Darius Artaxerxes Longimanus eſt filius Priſci Artaxerxis Aſſueri, natus ex coniugio Eſther, quam Aſſuerus repudiata Vaſthi propter ſuperbiam duxit in uxorem, ut in libro Eſther ſcribitur: Thucydides nominat eum filium Xerxis, ſecundum communem Græcorum opinionem, & ſeptimo anno belli Peloponeſiaci obijſſe ſcribit.

De tempore regni ipſius variant inter ſe autores. Metaſthenes tribuit ei annos 37. qui numerus ideo reijciendus eſt, quia non pertingit uſq; ad annum ſeptimum belli Peloponneſiaci, quo obijt Artaxerxes, nec convenit cum collatione temporum quam Philo inſtituit inter reges Monarchiæ Perſicæ & ſummos ſacerdotes populi Iudaici: puto autem numeros Artaxerxis Mnemonis inverſo ordine Artaxerxi Longimano & econtra, attributos eſſe, quod & ſupra monui cap. 17. Nam ex hac numerorum rectificatione Metaſthenes et Philo concinnè invicem conciliantur, quod ad ſeriem regum Monarchiæ Perſicæ & ſummorum ſacerdotum populi Iudaici attinet.

Euſebius ſcribit Artaxerxem Longimanum regnaſſe annis 40, ſed nec hic numerus pertingit uſq; ad ſeptimum annum belli Peloponneſiaci.

Funccius poſt diligentiſſimam huius rei inveſtigationem tandem reperit Longimano annos 44. attribuendos eſſe, atq; totidem annos,

quibus

quibus solus regnavit post Xerxem, eidē attribuimus in Chronologia nostra.

Totum autem tempus regni eiusdem sunt anni 55. qui numerantur hac serie, Anno nono Xerxis obijt Priscus Artaxerxes Assuerus tertius rex Babyloniæ ex semine Medorum, quem tunc temporis sub clientela Xerxis fuisse consentaneum est, etsi eo anno, quo historia Esther contigit, & Xerxes primum regnare cœpit, regibus Persicis potentia & maiestate non fuerit inferior, ac fortasse communem Titulum Monarchię cum ijsdem usurpavit, cum scripserit se regem centum viginti provinciarum, ubi econtra apud Herodotum legitur sub Dario Hystaspis Xerxis patre regnum Persicum viginti tantum provincijs terminatum fuisse. Verum ut cunctꝫ se res habet (nam hic fide digni autores apud Græcos planè sunt muti) certè ex sacris Biblijs, Metasthene atqꝫ Philone constat, post Baltassarem regem Babyloniæ posteros Astyagis, ut Darium Medum, Cyrum fratrem et Priscum Artaxerxem Assuerum ordine sibi invicem in eodem regno successisse, nisi quod Assuerus & Longimanus post captam Babylonem sub Dario Hystaspis deinceps in Susis se continuerunt: proximo igitur anno post obitum Prisci Artaxerxis Assueri, qui erat annus 10. Xerxis, cœpit regnare in eodem regno Darius Artaxerxes Longimanus filius ipsius, & regnavit cum Xerxe annis 11: Porro Xerxes terror ante gentium, ut inquit Iustinus, bello in Græcia infeliciter gesto etiam suis contemptui esse cœpit: cumqꝫ in Asiam reversus indulgeret libidinibus & insolenter atqꝫ tyrannicè ageret, aliquanto post ab Artabano interfectus est: Artabanū vicissim interfecit Darius Artaxerxes Longimanus, non Xerxis sed Assueri filius, & Persicum regnum cum Babylonico coniunxit: atqꝫ ab eo tempore regnavit annis 44. & mortuus est anno septimo belli Peloponnesiaci in hyeme, cum proxima æstate futura instaret Olympias 89. anno Mundi 3541. quo tempore Lacedæmonij ab Atheniensibus ad Pylum ita coartati sunt, ut pacis conditiones petierint. Thucyd. lib. 4.

Observandum hoc loco quoqꝫ est hunc Longimanum apud Esdram aliquando tantum Darium, aliquando tantum Artaxerxem nominari, sicut in libro Esther Priscus Artaxerxes Assuerus nunc Assuerus, nunc Artaxerxes solummodo una voce appellatur.

Darius, ut scribit Herodotus, Græcis ἐρξείην hoc est domitorem significat, Xerxes bellatorem, Artaxerxes magnum bellatorem, Cyrus & Assuerus significant principē hæreditatis, sive Infantem regni, ut nunc vocant: Sunt igitur hæc vocabula interdum propria nomina, interdum communiter pro cognomine regum Persicorum atqꝫ Medorum usurpantur, sicut Pharao & Augustus nunc propria nomina sunt, nunc communia epitheta Imperatorum Ægyptiorum & Romanorum.

Huius igitur Darij Artaxerxis Longimani anno secundo, qui fuit annus Xerxis undecimus Anno Mundi 3488. postremò inchoata est

Ædificatio Templi Hierosolymitani post reditum Iudæorum ex captivitate Babylonica, prophetantibus atque opus adiuvantibus Aggeo & Zacharia. 1. Esd.4. 5. completa est autem hæc ædificatio anno sexto eiusdem, 1. Esd.6. elapsis à prima fundatione usque ad id tempus annis 46. Iohan. 2. De serie horum annorum vide semper cap. 22. Septimo anno eiusdem Esdras venit Hierosolymam 1. Esd.7. & vicesimo Nehemias, à quo anno sumitur verum initium LXX Hebdomadum Danielis, nam tunc exijt sermo, ut iterum ædificaretur ipsa urbs Hierusalem, non Templum Domini, quod anno sexto Longimani iam completum erat. 2. Esd.2. Daniel.9.

De supputatione LXX Hebdomadum Danielis vide lib.1. De scrupul. Chronol. cap.17. 18. 19. 20. & 21. Tricesimo secundo anno eiusdem Nehemias constructis muris Hierusalem redijt in Babyloniam, & in fine regni eius iterum Hierosolymam. 2. Esd.13.

Thucydides lib.1. scribit Themistoclem ad hunc Artaxerxem nuper regnare incipientem profugisse, quo tempore Athenienses Naxum Insulam obsederunt. Etsi autem Diodorus Siculus & Valerius Maximus expressè affirment eundem ad Xerxem profugisse, & cum Xerxes rursus bellum adversus Græciã moturus esset, Themistoclem sive amore patriæ, sive metu Cimonis hausto taurino sanguine sibi ipsi mortem conscivisse, ne cogeretur castra Xerxis sequi, tamen sententia Thucydidis nobis verisimilior videtur.

Primum quod Thucydides hoc loco res gestas sui temporis describit, quas partim ipse vidit, & quibus partim ipsemet interfuit. Nam etsi communi errore Græcorum Artaxerxem Xerxis filium constituat, tamen in reliquis hystorijs Persicis non est consentaneum eum posthac ita labi, cum iam Medi & Persæ Græcis magis magisque innotuissent.

Secundò, nec Xerxes tunc imperare cœpit sed regnare desijt, cum Athenienses obsederunt Insulam Naxum. Ergo necessariò sequitur Themistoclem ad Artaxerxem profugisse, qui Xerxe ab Artabano interfecto proximè successit, & eo tempore regnare cœpit. Quomodo tamen hæ diversæ opiniones conciliari possint ostendam infra lib. 3. cap.30. Porro hic observandum est Thucydidem loqui de illo initio regni Artaxerxis, quo solus regnare cœpit, & regnavit annis 44. Anno Mundi 3498. & ad hoc initium quadrant historiæ prophanæ Græcorum, sed historiæ sacræ scripturæ referendæ sunt ad alterum initium regni eiusdem, quo primum regnare cœpit anno decimo Xerxis, Anno Mundi 3487, & regnavit annis 55. ut supra est demonstratum.

Caput



Caput XXXII.

DE DARIO NOTHO VI. REGE PERSARVM.

DE Dario Notho pauca extant apud veteres historicos, & recens scriptor Iohannes Zonaras eum in serie regum Persicorum prorsus omittit, secutus fortasse Philonem, qui Darij Nothi, et Artaxerxis Mnemonis annos coniungit, & una serie numerat usque ad Ochum. VIII. Regem Persarum.

Cum autem ex anno decimo tertio regni illius verum initium belli Peloponesiaci apud Thucydidem colligi & haberi queat, & Iustinus idē bellum cum morte illius finiat, non est nobis in serie Monarchiæ Persicæ prætereundus: Brevem itaque historiam huius Darij Nothi subiungemus.

Scribitur hic Darius Nothus non fuisse filius Artaxerxis Longimani, sed maritus sororis ipsius, cœpit regnare anno Mundi 3542. regnavit annos 19. ut numerant & Metasthenes & Græci. Huius annum decimum tertium confert Thucydides cum anno vicesimo belli Peloponnesiaci, cumque calculus Thucydidis cū nostra Chronologia aptissimè conveniat, addam integrum locum.

THVCYDIDES LIB. VIII. BELLI PELOPONNESIACI.

Tertiodecimo regni Darij anno, Alexippida apud Lacedæmonē tribuno plebis, pactiones initæ sunt apud Menandri campum inter Lacedæmonios sociosque, ac Tissaphernem & Theramenem Pharmacisque liberos, de regis deque Lacedæmoniorum & sociorum negotijs: Quæcunque plaga regis in Asia est, regis esto, deque sua provincia rex deliberato pro suo arbitrio, Lacedæmonij socijve provinciam regis ne adeunto nocendi ergò, neve rex Lacedæmoniorum sociorumve regionem adito ullius mali ergò: Quod si quis Lacedæmoniorum aut sociorum nocendi ergò regionem regis adierit, Lacedæmonij socijve prohibento, & si quis è ditione regis adierit Lacedæmonios sociosve nocendi ergò, rex prohibeto: Navibus quæ nunc adsunt Tissaphernes stipendium præstato ex pacto, dum naves regis adveniant, quæ ubi advenerint, Lacedæmonij socijque suam classem si volent alunto, sin à Tissapherne ali volent, Tissaphernes stipendium præbeto, eam pecuniam finito bello quantam acceperint Lacedæmonij socijque Tissapherni reddunto: Postquam classis regia venerit, & illa & Lacedæmoniorum & socialis communiter bellum gerunto, quatenus Tissapherni videtur Lacedæmonijsque ac socijs: Quod si societatem belli contra Athenienses dissociare libuerit, ex æquo dissocianto. Atque hæ pactiones initæ fuerunt in hyeme. &c:

confectus est vicesimus huius belli annus, quod Thucydides conscripsit. Hæc ille.

Hic iterum apparet, quomodo Olympiades medium annum dispescant, nam decimus tertius annus Darij media parte ad annum vicesimum, reliqua autem parte ad annum vicesimum primum belli Peloponnesiaci pertinet. Ac licet hæ pactiones in hyeme anni vicesimi non initæ fuissent, sed in æstate anni vicesimi primi eiusdem belli, tamen adhuc cum decimo tertio anno Darij Nothi congruerent: sed hyems vicesimi primi anni ad decimum quartum annum Darij Nothi pertinet.

Porro de ultimo anno Darij Nothi ita inquit Iustinus lib. 5. Insignis hic annus & Expugnatione Athenarum & morte Darij regis Persarum & Exilio Dionysij Siciliæ Tyranni fuit.

Quod ad Expugnationem Athenarum attinet, certum est eam accidisse anno vicesimo septimo belli Peloponnesiaci, quo anno idipsum bellum finitum est teste Thucydide: Etenim, inquit, memoria teneo ab incepto usq; ad finitum bellum à compluribus ex oraculis prædicari solitum ter novenis, hoc est 27. annis hoc bellum fieri oportere, quod & exitu est comprobatum. Congruit autem æstas anni vicesimi septimi belli Peloponnesiaci cum anno decimo nono atq; ultimo Darij Nothi: rectè igitur Iustinus Expugnationem Athenarum & mortem Darij regis ad unum eundemq; annum confert.

Nec obstat quod Xenophon ait anno vicesimo octavo, mense sexto exeunte verè tandem debellatum fuisse inter Lacedæmonios & Athenienses, & ordine numerat viginti octo Ephoros Lacedęmoniorū, qui tempore huius belli præfuerint. Nam addit illud tempus, quod ab Expugnatione Athenarum usq; ad reditum Lysandri Lacedæmonem intercessit, quod sanè non exiguum fuisse constat, cum interea aliquanto tempore Samios obsederit, & tandem per deditionem ceperit. Ac verè tunc, cum Lysander Lacedæmonem redijt, agebatur annus vicesimus octavus, sive hoc secundum communium annorum calculum sive Olympiadum, quo Thucydides utitur, intelligatur: cum enim, ut dictum est, bellum finitum sit anno vicesimo in hyeme, necesse est ut secundum communem calculum ver proximè sequentis anni, quo Lysander Lacedæmonem redijt, ad annum vicesimū octavum pertineat: cumq; tum mensis sextus vicesimi octavi anni laberetur, necesse quoq; est ut secundum Thucydidis calculum cum æstate Olympiadis 94 inchoatus sit pariter annus vicesimus octavus.

Hæc diligentissimè observanda sunt, nam nisi Expugnationē Athenarum & reditum Lysandri Lacedæmonem præcisè distinguamus, annus 19 Darij Nothi cum Expugnatione Athenarum nequaquā conferri potest, nec ver, quo redijt Lysander Lacedæmonem, ad annum vicesimum octavum, sed ad vicesimum nonū belli Peloponnesiaci quadrat, quod & ratione belli eiusdem esset absurdum, & Iustini locum de ultimo anno Darij omninò everteret. Sed hæc oculariter demonstrantur in nostra Chronologia.

Quod

Quod vero ad Exilium Dionysij Siciliæ Tyranni attinet, amplio-re declaratione eget. Celebre est hoc Exilium Dionysij apud multos scriptores, eo potissimum nomine quod omnibus qui in rebus prosperis temerè insolescunt ex sua vita & fortunæ immutatione exemplum parum speciosum præbuit. Eadem ratione Valerius Maximus idipsum inter facta dictaq; memorabilia ad casuum varietatē retulit lib. 6. cap. 11. Dionysius, inquit, cum hæreditatis nomine à patre Syracusanorum, ac penè totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opū Dominus, exercituum Dux, rector classium, equitatu potens, propter inopiam literulas puerulos Corinthi docuit, eodemq; tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno docuit.

Erasmus Roterodamus Exilium Dionysij quoq; eò confert, ut ostendat certissimum viaticum esse eruditionem aut artificium aliquod, nam hæc neq; eripi possunt a latronibus, & quocunq; terrarum abeas, te comiiantur, nihil adferentia sarcinæ, sed plurimū emolumenti, ideoq; rectè dictum esse à veteribus: Ars ipsa inopiæ portus est mortalibus.

Primum autem nemini dubium est hunc Dionysium qui in exilium actus est, & Corinthi ludum aperuit, non fuisse seniorem sed iuniorē Siciliæ tyrannum, nam hoc Valerius Maximus in loco citato expresse testatur. Certissimum & hoc est, eum in exilium adactum fuisse à Timoleonte Corinthio anno decimo octavo Philippi regis Macedonum, patris Alexandri Magni, ut autor est Diodorus lib. 16. Is annus congruit cum anno secundo Olympiadis 109. Vrbis verò Romæ 410. Anno Mundi 3622: Porrò ab expugnatione Athenarum & à morte Darij Nothi usq; ad præfatum tempus elapsi sunt anni 62. ut analogia temporum manifestè demonstrat. His igitur concessis necessariò sequitur, hunc locum Iustini aut esse mendosum, aut aliter accipiendum, quàm de celebri illo exilio Dionysij iunioris Siculi Tyranni, quod nequaquam congruit cum anno expugnationis Athenarum, aut morte Darij Nothi regis Persarum.

Secundò, scribit autem Xenophon eodem anno, quo finitum est bellum Peloponnesiacum, & instituta est Athenis Oligarchia XXX tyrannorum Dionysium seniorem tyrannum Syracusanum bello à Carthaginensibus superatum esse, Gelamq; & Camarinam amisisse, videtur ergo locus Iustini de hoc infelici prælio Dionysij intelligendus esse, quod tempus convenit cum expugnatione Athenarum, & Darij Nothi morte, sic tamen ut Darius obierit in æstate anni vicesimi septimi belli Peloponnesiaci, sed expugnatio Athenarum & exilium, sive infelix prelium Dionysij inciderint in hyemem eiusdem anni.

Verum & hoc observandum venit Xenophontem eodem loco ferè una integra Olympiade ab analogia temporum discedere, dum scribit Dionysium seniorem Hermocratis filium eodem ferè tempore tyrannidem Syracusis arripuisse, quo à Carthaginensibus superatus est, cum

hoc contigerit anno primo Olympiadis 94, illud anno secundo Olympiadis 93. Ideoq; Xenophon ipsemet numerum Olympiadis 94. vel volens omisit, vel alij eundem expunxerunt, ut lectorem huius rei admonerent: sed de initio tyrannidis Dionysij Senioris in Sicilia infra pluribus agetur lib. 3. cap. 22.

Caput XXXIIII.

DE ARTAXERXE MNEMONE VII. REGE PERSARVM.

HVius regis vita & res gestæ utiliter legi possunt apud Plutarchũ, nos brevitati studentes, ea tantum recitabimus quæ C. V. Philippus Melanthon per compendium de eodem in Chronico suo collegit.

Ne inter fratres de regno certamina orirentur, Darius Nothus ante suam mortem filium natu maximum, Artaxerxem, regem constituit. Tradidit autem secundo filio Cyro sine regio nomine gubernandam Lydiam & Ioniam. Sed post mortem patris, Cyrus sive à matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, sive alioqui ardens cupiditate dominations, bellum fratri intulit, & magnum exercitum ex minore Asia adversus fratrem ultra Euphraten duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnum exercitum, & cum Cyro dimicavit. In eo prælio Cyrus fratrem vulneravit, & partem exercitus eius loco pepulit. Sed aliquanto post cum paucioribus irrumpens in medios hostes Cyrus interfectus est. Ita frater, qui sine iusta caussa bellum moverat adversus fratrem & Regem, quanquam multæ in eo magnæ virtutes fuerunt, & robore exercitus antecelluit, divino iudicio superatus est, & inter exempla referendus est, de quibus regulæ concionantur: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Qui potestati resistunt punientur.

Virtutes eius à Xenophonte, cuius titulo extat historia huius belli, honorificè describuntur. Iusticia in imperio, Fides in pactis, Modestia & Munificentia erga principes & Respublicas, fortitudo in dimicando, comitas erga amicos. Nec mirum erat, inquit, superare eum omnes magnitudine donorum, cum ditissimus esset. Sed liberalitati addere comitatem & singularem delectum, mirandum est, sæpe lagenas semiplenas misit amicis, iubens ut hodie cum amicis biberent, quia diu nullum melius vinum habuisset. Laudat autem semiplenas misisse, ut significet, de eo misisse, quo ipse fruebatur & delectabatur, & nihil ei sine amicis suave esse, sic & anseres semesos ait amicis eum misisse. Post Cyri mortem capta est in castris Aspasia mulier Ionica, quam Cyrus magis amavit, quàm cæteras concubinas. Adeo enim & forma & ingenio ante-

celluit,

celluit,ut nominata sit Σοφὴ καὶ καλή. Hanc captam Artaxerxes valdè amare cœpit.

Cum autem filium Darium regem creasset, & consuetudo esset,ut die,quo pater filium Regem renunciaverat, liceret filio donum petere à patre, quodcunque vellet,idque patrem largiri oporteret, filius Aspasiam petivit: Etsi dolebat eam pater à se abduci,dedit tamen, nec multò post rursus eripuit: Inde inter patrem & filium orta simultate,filius incitatus & adiutus à Tiribazo,constituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, ut eum interficiat. Sed præmonitus pater effugit insidias,& ibi Tiribazus & cæteri Comites armati à patris satellitibus interficiuntur, Filius Darius capitur, & postea re iudicata in principum consilio (quia pater solus de filio Rege statuere noluit) interficitur. Hęc pœna secuta est incestas libidines. Duxit autem pater uxorem filiam Atossam. Et cum iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arsamen ipse interfecit. Alteri fratri tantum incussit terrorem, ut ipse sibi mortem consciverit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui postea cum filijs perijt,& Cyri posteritas (tam à Medis quàm à Persis eò usque propagata) prorsus extincta est. Et calamitas filiorum Mnemonis, incesta consuetudine polluti, ostendit peccata in semine postea in sobole puniri. Græci tribuunt huic Artaxerxi Mnemoni annos quadraginta. Hæc ille. Anno 17. huius Artaxerxis Mnemonis constituta est celebris illa pax Antalcidæ per universam Græciam, quo tempore Roma quoque à Gallis capta est, Xenophon lib. 5. Rerum Græcarum. Polybius lib. 1. Iustin. lib. 6.

Porro quod Græci eidem tribuunt annos 40. & Plutarchus 62. utrunque contra analogiam temporum pugnat, Cur autem tantum 37 annos illi tribuendos esse censeant, dictum est supra cap. 17. & 31.

Caput XXXIIII.

QVod feci in historia Artaxerxis Mnemonis septimi regis Persarum,ut ea tantum recitarem,quæ C. V. Philippus Melanthon per compendium in suo Chronico de eodem collegit atque annotavit, idem posthac in reliquis tribus atque ultimis regibus Persarum facturus sum: nam & de his regibus nulla amplius discrepantia est inter historicos,& quæ omnes uno consensu de illis scribunt, ea tanta brevitate & perspicuitate à Melanthone sunt concinnata,ut meliori a me concinnari non possint.

DE ARTAXERXE OCHO VIII. REGE PERSARVM.

Regnavit annos ſex & viginti, ac regnum occupavit necatis duobus fratribus. Huius gubernatio cum plena fuiſſet crudelitatis adverſus domeſticos, externas nationes, et adverſus Eccleſiam in Iudæa, quæ mediocrem tranquillitatẽ, & quaſi halcyonia habûerat, tandẽ ipſe à quodam ſuo Duce interfectus eſt. Initio gubernationis Sidonem proditione cepit, ubi cum ſupplices interfeciſſet, irati Sidonij, ipſi urbem incenderunt, ac periјſſe ibi quadraginta millia hominum ſcribitur. Poſtea Euagoram Cypri regem, de quo extat Iſocratis oratio, cum fuiſſet eius ſocius, interfecit. Recuperavit & Ægyptum, cumq; in vicina Iudæa bellum peteret, ſævitiam in Iudæos etiam exercuit, quibus ad id tempus à Longimano uſq; Deus tranquillitatem dederat, ut inſtaurari urbes, Templum, doctrinæ ſtudia, & totus ordo gubernationis poſſent. Sed tanta eſt humanæ naturæ infirmitas, ut in rebus ſecundis lætitia afferat negligentiam in frenandis cupiditatibus, cœperunt igitur iam fratres de ſummo ſacerdotio certare: Summus ſacerdos erat Iohanna, hunc ut frater eius Ieſus excuteret, petit à Vagoſe Perſico præſide auxilium, & conatur vi occupare Templum, ibi à fratre Iohanna frater in Templo trucidatur. Talia peccata irritarunt iram Dei: Venit igitur Ieroſolymam Vagoſes, & ingreſſus Templum inde ſpolia avexit, cui cum diceret Iohanna, impiè eum facere, reſpondet præſes Perſicus, illum verò magis impiè feciſſe, qui ibi fratrem occidiſſet.

Poſtea Ochus & annuas penſiones templo eripuit, donatas à Cyro & Longimano, & indixit tributa populo Iudæorum. Occupata etiam præfectura (id enim ſignificat ἀπόδασμος) multa oppida delevit, & multas familias procul tranſtulit in Hircaniam ad mare Caſpium: Rurſus igitur Eccleſiam exercuerunt magnæ calamitates uſq; ad Alexandrum Magnum, qui veniens Ieroſolymam, ut poſtea dicetur, reſtituit Iudæis αὐτονομίαν, & pacem, & tributa remiſit.

SCHOLION.

Diodorus Siculus hiſtoriam captæ per proditionem Sidonis ad decimum annum Philippi regis Macedonum patris Alexandri Magni refert, qui annus congruit cum anno decimoſeptimo Artaxerxis Ochi, & ſequenti anno Ochum Ægyptum quoq; ſubegiſſe ſcribit. Præfecturam autem Iudæis idem Ochus ademit, & plures in Hircaniam ad mare Caſpium tranſtulit anno regni ſui ſeptimo, autore Euſebio. Hiſtoria vero de parricidio Iohannæ ſummi pontificis, quod erga fratrem Ieſum in Templo Hieroſolymitano exercuit, & vindicta Vagoſis præ-

ſidis Perſici, quam à Iudæis exegit, deſcribitur apud Ioſephum lib. 11. cap. 7. Sed annus non additur, quo iſta contigerunt, videntur tamen non incommodè ad ſeptimum quoq; annum aut ſextũ Ochi referri poſſe, ſi Iudæis circa id tempus præfectura eſt adempta.

Anno 13. Artaxerxis Ochi inchoatum eſt Bellum Phocenſe quod SACRVM vocant, & duravit totum decennium, ortum propter Templum Delphicum à Phocentibus ſpoliatum. Nam Diodorus Siculus initium ipſius ad annum ſextum Philippi regis Macedonum collocat, & cum anno ſecundo Olympiadis centeſimæ atq; ſextæ coniungit, quod tempus cum anno decimotertio Ochi congruit. Quod autem Pauſanias initium huius belli refert ad annum quartum Olympiadis centeſimæ quintæ, & biennio ab hoc calculo variat, non eſt tanti, ut ideo ſolvamus harmoniam temporum, quam tanta ſedulitate obſervavit Diodorus in annotandis rebus eodem tempore in diverſiſſimis mundi partibus geſtis, & conferendis cum annis Philippi Macedonum regis, Si tamen & Pauſaniam & Diodorum hoc in loco aliquo modo conciliare poterimus, fiet illud infra lib. 3. cap. 34.

Caput XXXV.

DE ARSAME IX. REGE PERSARVM.

OChi crudelitatem & pœnæ ipſius & regni interitus ſequuntur, iuxta regulam: Qui gladium acceperit gladio peribit. Ochus interfectus eſt à principe Bagoa, qui cum regnum in ſeſe transferre non poſſet, Regem fecit Arſamen Ochi filium, qui cum annos quatuor regnaſſet, etiam ab hoc ipſo Bagoa interfectus eſt, metuente filium propter necem paternam. Hic finis fuit familiæ Cyri, in cuius conſideratione deploranda eſt miſeria humana, quod etiam talium poſteritas citò degenerat, in quibus fuit vera agnitio Dei & excellens virtus. Fuerunt autem in regno Perſico reges Deum rectè colentes: Darius Medus Cyrus & Artaxerxes Longimanus. Hi laudantur in libris Danielis & Eſdræ. His adiungi poſſunt Cyrus Medus & Priſcus Artaxerxes Aſſuerus.

Interfecto Arſame Bagoas ad principem Armeniæ regnum transtulit, qui non fuit ex poſteritate Cyri, ac nomen ei tribuit Darij. Hic Darius ultimus ab Alexandro victus & regnum & vitam amiſit.

SCHOLION.

Arſames cœpit regnare eodem anno quo Philippus Macedo pe-

rinthum atq; Byzantium obsedit anno Mundi 3624. De hoc tempore ita inquit Diodorus in Philippo.

Ex his qui historiarum monumenta posteris mandarunt, Cumeus Ephorus historiam suam, cum ad Perinthi oppugnationem pervenisset, finivit. Is in scribenda ea ab Heraclidarum reditu exorsus, Græcorum & barbarorum res gestas annorum, fermè septingentorum quinquaginta libris triginta describit, præfatione libro unicuiq; apposita.

Ad hunc locum rectè intelligendum quatuor observanda sunt. Primum. Non dubium est Diodorum hic pleno numero uti, in quo aliquot anni aut deesse aut redundare solent, quorum ratio in tam magna summa non habetur.

Deinde, Heraclidarum descensum in Peloponnesum alij ad annum 70. alij ad 80. à capta Troia collocant secundum diversa exemplaria Thucydidis: Est autem Capta Troia Anno Mundi 2782. Iam si addas annos 70. usq; ad Heraclidarum descensum, numerantur ab eo tempore usq; ad Perinthi & Byzantij obsidionem anni 772. si addas annos 80. remanent anni 762, sed non est verisimile vigintiduos aut duodecim annos in pleno numero à Diodoro neglectos esse, poterat enim tam concinnè pleno numero enunciare annos 770. aut 760. quã 750. neglectis duobus annis utrinq; redundantibus.

Tertiò, Eusebius Eurysthenem & Proclem Heraclidas Spartam metropolim Peloponnesi obtinuisse scribit anno undecimo Dercili regis Assyriorum, & anno decimo quinto Æneæ Sylvij Regis Latinorum, qui est annus Mundi 2871 annus à Capta Troia 89. Ab hoc autem tempore usq; ad Perinthi & Byzantij obsidionem sunt anni 753 atq; hanc summam annorum Diodorus proculdubiò ex Ephoro annotare voluit. Plutarchus in vita Homeri, scribit, Heraclidarum res gestas octoginta annis post exciduum Troiæ extitisse, qui numerus proximè ad calculum nostrum accedit.

Quartò, sed inquies tamen Eusebius initium regni Eurysthenis in Peloponneso refert ad annum quartum Dercili regis Assyriorum, atq; ita septennio à se ipso dissentit, quomodo igitur eum hoc loco tuto sequamur?

Respondeo, Distinguenda sunt tempora inter Descensum Heraclidarum in Peloponnesum, & inter initium regni eorum ibidem: concedamus igitur eos descendisse anno quarto Dercili regis, qui est annus Mundi 2864. non tamen illico regnũ Lacedæmoniorum occuparunt, sed consentaneum est eos in pellendis Tesamene Orestis filio Spartæ ac Mycenarum rege & Nelidis, Pyli & Messeniæ Dominus, & nepotibus Æsculapij ex Epidarmo septennium aut circiter consumsisse & sic tandem regnum Spartanum occupasse, ac postea stabilito regno seriem annorum imperij non ab hoc tempore, nimirum ab undecimo anno Decili regis Assyriorum, sed à primo descensu suo qui incidit in annum quartum eiusdem numerasse.

Hæc tam curiosè tractavi, non tantum ut Chronologiæ nostræ au-

toritatem

toritatem conciliarem, sed ne maiores confusiones in serie vetustissimorum regnorum propter hunc aut similes locos Diodori atque aliorum sequerentur, si quid temere mutandum præsumeretur.

Caput XXXVI.

DE DARIO X. ATQVE VLTIMO REGE PERSARVM.

REgnavit annos sex, cæpit enim regnare eodem anno, quo Philippus mortuus est, à Bagoa qui Ochum & Arsamen veneno sustulerat, accersitus ad regnum propter opinionem virtutis, cum enim Artaxerxes bellum gessit cum Cadusijs, & quidam Cadusius provocaret unum ex Persicis Ducibus ad Monomachiam, hic Darius Cadusiũ victor occidit. Quare Armeniæ gubernatio ei commendata est. Etsi autem vocaverat eum ad regnum Bagoas, tamen ut semper in metu sunt homicidæ, hunc quoque metuens, veneno tollere Darium conatus est: sed re indicata Darius Bagoam venenum, quod in eo convivio regi daturus erat, bibere coëgit: ita Bagoas extinctus tandem scelerum suorum pœnas dedit. Cum autem sciret Darius iam a Philippo (qui nuper Corinthi publicè Dux Græcorum contra Persas nominatus erat) missos esse exercitus in Asiam, mittit & ipse exercitus & classis ducem facit Memnonẽ Rhodium, cuius peritia fuit excellens, & in Græcia mortuo Philippo concitavit contra Alexandrum civitates: at Alexander patri Philippo succedens primum multis rebus preclarè in Græcia atque Asia gestis, tandem exercitum in Assyriam adversus Darium duxit, cumque ad Arbela venisset, vicina fuerunt Alexandri & Darij castra, ubi mense Augusto, ut Plutarchus recitat, Eclipsis Lunæ conspecta est, cuius & alij scriptores mentionem fecerunt, & eodem mense die vicesimo sexto pugnatum esse dicit. Quo in prælio profligatus est ingens Darij exercitus, interfectis nonaginta millibus hominum. Fuerunt in acie Darij cum Scythis Daci & Sacæ, ut aliarum gentium nomina omittam. Acies ita instructa fuit, ut Alexander in medio esset cum Thessalis equitibus, Clitus teneret dextrum cornu, Parmenio sinistrum, ubi etsi multi interficiebantur à Scythicis & Bactrianis equitibus, tamen Alexander rectà ad Darium accessit, mediam aciem tenentem, quo pulso & fugato postea opem tulit Parmenioni, ubi acerrima pugna fuit.

Darius pulsus fugit per loca ardua & aspera in Medos, sed Alexander rectà accessit ad Babylonem & Susam, quę urbes ultrò deditionẽ fecerunt: Postea duxit partem exercitus in Medos, ut Darium persequeretur, quem Bessus præfectus Bactrianorum, cum intelligeret Alexandrum prope esse, interfecit.

Etsi autem Alexander post necem Darij mox in eum locum venit, ubi tanti regis còrpus vidit iacere cruentum & sine honore, tamen non vi

dit viventem Darium, sed ipse regio honore sepeliri eum curavit: Bessum vero interfectorem comprehensum iussit discerpi alligatum duabus arboribus inflexis.

Hic fuit exitus regis Darij, cum sex annos Persicam Monarchiam gubernasset, nam initio septimi anni regni sui, regni vero Alexandri in Macedonia sexto & vitam & Monarchiam perdidit, Anno eiusdem Monarchiæ Persicæ post captam Babylonem 203. à primo vero anno quo Cyrus in Persia regnare cœpit anno 229. Vide supra cap. 17.

Atq; hæc de Monarchia Medopersica verbosius fortasse quam plerisq; placiturum sit, tractanda esse duxi, quibus si addita fuerit Chronologia nostra tanquam ocularis quædam demonstratio, reperiet (ut spero) candidus lector, non parum lucis ad sacras & prophanas historias melius intelligendas, sibi inde emersurum. Nam & sacra scriptura & Metasthenes atq; Philo cum Græcis & Latinis scriptoribus, quantum possibile fuit, hic aptè conciliantur, & ex hac conciliatione VERA SERIES ANNORVM MVNDI SECVNDVM SACRA BIBLIA ET QVATVOR SVMMA IMPERIA SIVE MONARCHIAS ORBIS ET OLYMPIADES GRÆCORVM ATQVE ANNOS AB VRBE ROMA CONDITA pulcherrima quadam harmonia constituta est.

Te autem candide Lector oro, si hac mea opera alicubi sublevatus fueris, ut pro hoc beneficio Deo gratias agas, à quo quicquid habemus & tibi communicamus, totum accepimus. Si autem me alicubi exorbitasse deprehenderis, ut id humanæ nostræ fragilitati ascribas, & comiter emendes, sic tamen ut illud Augusti σπεῦδε βραδέως tibi alta mente repositum semper maneat.

Caput XXXVII.

DE TERTIA MONARCHIA, QVAE DICITVR GRAECORUM.

CVm Persæ exercitum in Europam traiecissent, Phocenses fama fuit necessitate coactos in Xerxis partibus fuisse, sed mox à Barbaris desciscentes cum Græcis Platæensi prælio in acie steterunt. Insequenti de hinc tempore mucta est illis ab Amphictyonibus irrogata, cũ muctæ magnitudinem iniquissimo animo ferrent extitit Philomelus Theotimi filius, Phocensium nemini dignitate secundus: Ledon ei patria erat, urbs Phocica: is pro concione docuit, longè graviorem esse, quæ à se peteretur pecuniæ summam, quam ut eam pendere ullo pacto possent:

possent: censuit itaque Apollinis Delphici templum spoliandum. Cum & alia valdè ad persuadendum apposita afferret, & illud inprimis, quod cum ab Atheniensibus & Lacedæmonijs iampridem sibi pacata essent omnia, facilè Thebanos & alios quoscunque, qui se armis lacessissent, cum virtute tum pecuniæ impendijs possent superare. Philomeli oratio multitudinis valde secunda voluntate est accepta, sive quod mentem Deus à rectis consilijs avertisset, seu quod is populus suapte natura religioni solitus esset quæstum anteponere, Fanum igitur Apollinis Delphici diripere aggressi sunt Phocenses, & sacra pecunia potiti statim ex omnibus Græciæ partibus firmissimas mercenariorum militum cohortes conduxerunt. Thebani quidem apertè contra eos arma moverunt, nempe qui & ante offensiore in illos fuissent animo, & postea cum Thebanis societatem coivit Philippus Amyntæ F. rex Macedonum pater Alexandri Magni, is decimo post anno, quo Templum exspoliatum est, bello huic, quod idem Phocense & sacrum appellarunt finem imposuit. Cumque idem punivisset Amphissenses qui campum quendam Templo Delphico consecratum occupaverant, & vicisset memorabili pugna ad Cheroneam urbem Bœotiæ Athenienses & Thebanos, qui se Amphissensibus coniunxerant, post victoriam convocatis Grecarum civitatum legatis Corinthum, ibi Dux Græciæ contra Persas nominatus est, & constituta pace Græciæ in Macedoniam redijt, ac translaturus bellum in Asiam, misit eò partem exercitus. Sed dum commoratur domi & ostentat Regium splendorem cum alijs spectaculis, tum vero etiam sacrificio, in quo suam statuam inter Deorum statuas collocavit, in spectaculo quodam à satellite Pausania interfectus est, non diu postquam ad Cheroneam vicit Athenienses & Thebanos, sicut oraculum prædixerat, victorem brevi post moriturum esse: Flet victus, sed victor mortuus est:

κλαίει ὁ νικηθὲς, καὶ ὁ νικήσας ἀπόλωλε.

Extincto vero Philippo filius Alexander ex Olympiade, quæ nobilitate alias coniuges antecelluit, regno Macedoniæ potitus est, & parenti in Ducatu Græciæ contra Persas successit, atque anno sexto regni sui victo Dario ultimo rege Persarum Monarchiam Persicam destruxit: & sic translata est Monarchia à Persis ad Alexandrum. Estque initium Grææ Monarchiæ annus Alexandri septimus, & ab hoc tempore usque ad obitum eiusdem sunt anni quinque.

Post obitum Alexandri lacerata est eius Monarchia in præcipua & maxima regna quatuor, sicut Daniel ex Græco rege quatuor cornua oriri vidit. Etsi enim, ut fit, alia parva regna inter tantos tumultus orta sunt, tamen cultissimam partem generis humani quatuor regna complexa sunt: Ægyptus, Syria, Minor Asia, & Macedonia.

Quanquam autem variæ vices & in his regnis fuerunt, tamen Ptolemæus & eius posteritas Ægyptum retinuit usque ad Iulium Cæsarem conditorem quartæ Monarchiæ Romanorum. Seleucus & eius posteritas

ritas Syriam, Antigonus initio Minorem Asiam tenuit. Antipater Macedoniam. Postea deleta Antipatri posteritate Macedoniam tenuerunt posteri Antigoni, donec Romani eã occupaverunt, Rege Perseo capto. Cum igitur supra in secunda Tabula Annorum Mundi, ex quatuor Monarchijs summorum imperiorũ orbis sumpta, diximus ab obitu Alexandri Magni usq; ad Monarchiam Romanorum, quæ inchoatur à Iulio Cæsare, annos 277 numerari idipsum nobis hoc loco per seriem regum Ægyptiorum, Syriæ & Macedoniæ, qui tertiam Monarchiam quodammodo inter se partiti sunt, nunc demonstrandum erit.

Caput XXXVIII.

TABELLA REGVM AEGYPTIOTIORVM TEMPORE MONARchiæ tertiæ.

EOdem anno quo obijt Alexander Magnus, nimirum Anno Mundi 3640 inchoatur regnum Ægyptiorum sub Ptolemæis, qui regnarunt hac serie.

Ptolemæus	Lagi filius annis	40.
Ptolemæus	Philadelphus	38.
Ptolemæus	Euergetes	26.
Ptolemæus	Philopator	17.
Ptolemæus	Epiphanes.	24.
Ptolemæus	Philometor	35.
Ptolemæus	Euergetes	29.
Ptolemæus	Soter.	17.
Ptolemæus	Alexander	10.
Ptolemæus	Lathurus.	8.
Ptolemæus	Dionysius Auletes	30.
Cleopatra cum fratre Dionysio		22.
Summa omnium annorum.		296.

Abijce ab annis Cleopatræ annos 19. Nam triennium tantum aut circiter cum fratre regnavit usq; ad Iulium Cæsarem, & remanebit ab obitu Alexandri magni usq; ad Monarchiam Romanorum quæ inchoatur à Iulio Cæsare.

Summa annorum. 277.

SCHOLION.

Ptolemæum Lagi filium Tertullianus Soterum, hoc est servatorem appellat, sed Iosephus hoc nomen ei præter meritum, respectu Iudæorũ,

tributum

tributum esse scribit. Is enim (inquit) Hierosolymã occupavit, dolo circumventam: ingressusq; urbem sabbato velut sacrorum gratia, Iudæis nec arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioquin eum diem in ocio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbè eam & inclementer tractavit. Funccius huius imperio tantum 38 annos attribuit, ut primus annus Ptolemæi Philadephi filij ipsius congruat cum Æra Dionysij, sed secundum Chronologiam nostram primus annus Philadelphi cum Æra Dionysij concinnè congruit, ac nihilominus 40. anni Ptolemæo patri Philadelphi integri relinquuntur.

Ptolemæus Evergetes secundus ab Epiphanio Philologus, ab alijs Physcon dicitur. Nam quod Eusebius eum Soterum nominat pugnat cum Strabone. Sequens autẽ Ptolemæus & Soter ab Epiphanio & ab alijs Lathurus, hoc est clam reversus dicitur, quod post finitum exilium in Cypro clam iterum ad regnum redijt, primum igitur regnavit annis 17. in exilio decennium aut circiter consumsit, secundò clam reversus iterum regnavit annis 8.

Ptolemæus Dionysius primus (sic enim à Diodoro, Eusebio & Epiphanio vocatur) est Auletes pater Cleopatræ Antonij secundum Strabonem, qui exulavit Romæ & deinde reductus est in regnum per Gabinium, sed & frater Cleopatræ hoc nomine fuit, qui est Dionysius secundus. Is Pompeium interfecit, & postea Iulium Cæsarem quoq; interficere conatus est, verum ipse à Iulio magnis prælijs victus inter collisas naves in tumultu fugientium eversa cymba in mari perijt.

Caput XXXIX.

TABELLA REGVM SYRIAE TEMPORE MONARCHIAE TERTIAE.

AB eo anno quo obijt Alexander Magnus usq; ad initium Regni Syriaci sunt anni	13.
Seleucus Nicanor regnavit annis	32.
Antiochius Soter, Syriæ & Asiæ rex annis	19.
Antiochus Theos.	15.
Seleucus Gallinicus.	20.
Seleucus Ceraunus.	3.
Antiochus Magnus.	36.
Seleucus Philopater.	12.
Antiochus Epiphanes.	12.
Antiochus Eupator.	2.
Demetrius Soter.	10.

Alexander.	5.
Demetrius.	2.
Antiochus Sedetes.	3.
Tryphon.	3.
Antiochus Pius.	12.
Demetrius Nicanor.	4.
Alexander Zebenna.	2.
Antiochus Gryphus.	29.
Antiochus Cyzicenus.	10.
Tigranes rex Armeniæ.	18.
A victo Tigrane à Pompeio ad Iulium Cæsarem sunt anni	15.
Summa omnium annorum.	177.

SCHOLION.

IN hac serie regum Syriacorum magna est diversitas inter autores, potissimum vero à tempore Demetrij Soteri usq; ad Antiochum Gryphum, sed nos tam in nominibus regum, quam in numeris annorum, ubiq; Funccium secuti sumus, præterquam in primo rege Seleuco Nicanore, cui idem tribuit annos 31. Nos vero secundum Eusebium atq; alios eidem 32. annos tribuendos esse censemus, nec tamen calculus noster hic quicquam à Funccio variat, Ratio huius concordantiæ est, nos annum obitus Alexandri & initij regni Ptolemæi Lagi filij in Ægypto (cuius anno 14. Seleucus Nicanor in Syria regnare cœpit) unum eundemq; constituimus, quem ille in duos annos communi more Chronologorum divisit, inde nos uno anno prævenit, qui resarcitur anno trigesimo secundo atq; ultimo Seleuci Nicanoris, ut deinceps utriusq; Chronologia ipsius & nostra æquis passibus procurrat.

A primo anno eiusdem Seleuci Nicanoris sumitur initium regni Græcorum in Syria, cuius regni anno 137. regnavit in Syria Antiochus Epiphanes. 1. Machabeorum 1. Hoc tempus diligenter est observandum propter libros Machabæorum & Iosephum, qui regnum Græcorum scilicet in Syria non ab Alexandro Magno, sed à Seleuco Nicanore inchoant. Et Chaldæi quoq; suos annos secundũ hunc calculum numerant, quos crebro citare solet Ptolemæus in libris Magnæ constructionis suæ.

Caput



Caput XL.

TABELLA REGVM MINORIS ASIAE TEMPORE MONARCHIAE TERTIAE.

AB eo anno quo obijt Alexander Magnus usq; ad initium regni Antigoni in Minori Asia sunt anni 6.
Antigonus regnavit annis 18.
Demetrius Antigoni F. 17.
Demetrius cum se dedisset Seleuco Nicanori, tum regibus Syriæ & minor Asia cessit. Post Demetrium ijdem reges in Asia dominati sunt usq; ad Iulium Cæsarem annis 236. ut patet ex Tabella eorundem.
Summa omnium annorum. 277.

Caput XLI.

TABELLA REGVM MACEDONIAE TEMPORE MONARCHIAE TERTIAE.

EOdem anno quo obijt Alexander Magnus, inter Duces ipsius convenit, ut frater eiusdem Arideus rex esset, & ut expectaretur hæres ex Roxane coniuge Alexandri:

Arideus itaq; regnavit annis		7.
Cassander.		19.
Alexander & Antipater Cassandri FF.		4.
Demetrius Antigoni F.		6.
Pyrrhus.	mens.	7.
Lysimachus Rex Thraciæ annis		7.
Ptolemæus Ceraunus, Antipater & Sosthenes sibi invicem succedentes		2.
Antigonus Gonatas Demetrij F.		36.
Demetrius Secundus.		10.
Antigonus Doson.		12.
Philippus Demetrij F.		42.
Perseus.		11.
Summa annorum ab obitu Alexandri Magni usq; ad annum u. Persei.		155.

Est autem Perseus victus & Macedonico regno exutus à Paulo Æmilio Anno ab V. C. 585. Inde usq; ad Iulium Cæsarem, qui oppressa Republica Romanorum quartam Monarchiam instituit. Anno ab V.C. 706. sunt anni 122.
Summa omnium annorum. 277.

Hæc de serie annorum Monarchiæ tertiæ dicta sufficiant, integras historias Regum Ægypti, Syriæ, Minoris Asiæ atq; Macedoniæ lector ex autoribus petet, qui eas ex professo sibi literis commendandas sumserunt.

Porro aliqui Monarchiam tertiam etiam ad Augustum imperatorem extendunt, sed exiguum intervallum est à Iulio usq; ad Augustum, nec refert sive à Iulio sive ab Augusto quarta Monarchia inchoetur, modo de serie annorum simus certi, nec potest negari Iulium Cæsarem oppressa Republica Romanorum fundamenta prima quartæ Monarchiæ iecisse, sed eadem ab Augusto tandem mira arte atq; industria exædificata, constabilita & quodammodo absoluta fuit.

Dignissimum etiam est observatu, quod Philippus Melanthon de hac Monarchia scribit lib. 3. Chronolog. in initio.

Cum Daniel, inquit, quartam Monarchiam nominat & pingit, nõ tantum à Iulio aut Augusto eam orditur, sed complectitur tempus, quo urbs Roma summum imperium tenuit, etiam ante bella civilia. Et cum adeo terribilem speciem pingit, significat bella civilia & deinde sævitiam quam Tyranni in illo imperio in Ecclesiam exercuerunt, quia hæc duo mala maximas vastationes in genere humano ante Gotthica, Sarracenica & Turcica tempora fecerunt. Consideremus itaq;, quare Deus voluerit notam esse seriem Monarchiarum, videlicet, quia vult sciri has generis humani Confusiones non fore sempiternas, sed aliquando finem futurum esse & secuturam meliorem Ecclesiæ vitã. Vult item sciri, quo tempore Filius Dei se ostensurus fuerit hominibus, & postea in fine Mundi iudicaturus: Ideo Monarchias distinguit, ut monstraret tempus adventus filij, ac prædicit, Filium in quarta Monarchia venturum esse. Non igitur deficiamus à Deo, sed expectemus aliam vitam, & sciamus illud tempus melioris vitæ non procul esse. Hæc & alia multa consideranda sunt in lectione Danielis.

Caput XLII.

DE ORIGINE ET PRIMORDIIS QVARTAE MONARCHIAE ROMANORVM EX LIB. 1. ONVPHRII Panvinij Veronensis de Romanis principibus & ijs quorum maxima in Italia imperia fuerunt.

VRBS ROMA Regum ab initio imperio paruit, tantæ futuræ Reipublicæ non solum utili, verum prope etiã necessario: neq; enim pastorum convenarumq; congregara illa multitudo, quę ex suis populis ad novam urbem incolendam transfugisse dicitur (cum adhuc nec coniugum aut liberorum nec ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, charitas animos eorum consociasset) soluta metu regio, agitari popularibus seditionibus, aut in aliena urbe, cum patribus civili contentione decertare, sine summa totius Reipublicæ pernicie potuisset.

Primus

Primus autem Romæ regnasse, qui eandẽ etiam condidisse Romulus proditur, quo 38. imperij anno è medio sublato, post annuum interregnum Numa Pompilius regnum Romanũ per tres & quadraginta annos in altissima pace obtinuit. Cuius successor Tullus Hostilius rerum potitus est annos 32. Mox Ancus Martius 24. Deinde L. Tanquinius Priscus 38. qui ei successit Servius Tullius 44. Postremus omniũ L. Tarquinius Superbus 25. annos summæ rerum Romę præfuerunt, quorum (cum plerique iusti, publicæque utilitatis studiosi extitissent) imperijs, ijs legibus ac institutis Romana fundata est Respublica, ut ab ijs primordijs ad certissimum exterarũ omnium gentium ac populorum, bello paceque principatũ, eam pervenire difficile non fuerit. Verum Superbo rege cũ propter eius impotentiam, immoderatamque in cives libidinem atque audaciam, tum propter stuprum Lucretiæ à Regis filio Sexto illatũ, exacto, libertateque recuperata, imperium duobus viris annuum mandatũ est, qui quod consuluerunt Reipublicæ, Consules appellati sunt. Hi omnia iura, omnia Regum insignia habuerunt, id modo cautũ est, ut alter alteri per singulos menses fasces ac secures concederet, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror, duoque reges pro uno accepti esse viderentur. Patricij autem ambo creati sunt, quod eis solis plebe exclusa ex Romuli instituto Magistratus capere liceret. Sub horum imperio, Decem virorum biennio, Tribunorũ militum cõsulari potestate 40. annis, Dictatorũ quoque quadriennio, & quinque annis , quibus Respublica sine curulibus Magistratibus fuit, ac demum anno 580. sine consulibus interpositis, Annis 460. urbs Roma fuit. Quorum imperij principio, cum universa Respublica, paucorum patriciorũ principatu regeretur, plebsque omni prorsus Reipublicæ munere exclusa esset (patricij enim soli consulatum, idest Regium imperium , sacerdotia, sacra, comitia, atque omnẽ in plebem vitæ necisque potestatem habebant, plebs vero non modo omnis expers honoris optimatibus parebat, verum etiam diremptis cõnubijs vitæ etiam ipsius prope cõmunione privata, maxima cũ indignitate serviebat) aliqua, quę tum nulla erat, in Repub: moderatio inducenda fuit, per quã tenuiores cũ principibus (quod in rebus publicis rectè institutis fieri solet) æquari possent et plebs ipsa pari cum patricijs in civitate iure teneretur. Summã igitur potestatem, idest Sacrosanctum Tribunatum , secessione ob gravissimas, quibus vexabatur, calamitates facta, è patriciorum manibus primo extorserunt, quo ipsa tanquam acerrimo quodam telo cõtra optimatum potentiã atque libidinem se libertatem atque pudicitiam suã tueretur. Cuius postea ope cętera omnia in civitate cõsecuta est, quibus plebs optimatibus ęquata tandẽ fuit. Lege enim Tribunitia XII Tabularũ leges cõscriptę, connubia patriciorũ plebi quoque cõmunicata fuerunt, ne pars civiũ tanquã contaminata, atque indigna à nobilibus cõtemni ac nullo numero haberi videretur. Tribunicijs auxilijs sumi honores plebi quoque impartiti sunt, ne soli optimates in Republica dominarẽtur: cõsulatus itaque, quę firmissima arx patritiorũ potẽtię semper fuerat, pręterea Dictaturã, censurã, impia, sacra, sacerdotia, quę unius ante nobilitatis fuerant nõ sine

magnis Reipublicæ motibus plebs sibi vendicavit. Iamq; nihil aliud ad ius totius Reipublicę adęquandũ deerat, quam ut Plebiscita, quibus sola plebs tenebatur omnes Quirites astringerẽt, quod etiã postremo secessione in Ianiculũ facta, lege Hortensia consecuta est. Ita æquissimis demum legibus temperata Republica, plebeq; omniũ rerum in societatẽ vocata, magna interim Italiæ parte devicta, cũ Tarentinis et Pyrrho rege bellum susceptũ est. Ex quo tempore præclara atq; ad omnis posteritatis famã illustria abstinentiæ, modestiæ, iusticiæ, fortitudinis, civilis deniq; concordiæ, usq; ad tertium bellum Punicũ exempla ædita sunt. Quo tempore nulla nobilium dissensio, nullus populi motus, summa honorũ ac rerũ omnium inter eos communio fuit: nullum in privata re cumulanda atq; augenda, omne omniũ in amplificando ac popagando imperio studium est collocatum. Nam reliqua tempora, quò ab hac ætate magis, eo ab optima Reipub: specie longius abfuerunt, siquidẽ extremis temporibus partim Regum, partim etiam imperatorum, medijs autem modo optimatũ, modo populi immoderatum imperium civitas pertulit. Hoc enim tempore Curij, Fabricij, Coruncanij, Metelli, Fabij, Scipiones, Marcelli, Pauli, Lepidi floruerunt: quorum cum eximiã in bello animi magnitudinem ac prudentiam, tum incredibilem in pace iusticiam ac moderationẽ, meritò admirareris & coleres. Hocq; fuit illud tempus, in quo optimam, perfectam, sanctamq; esse Rempublicã Africanus, qui eam administravit, apud Ciceronem disseruit: Optimam quidem, quod ex tribus Reipublicæ iustis generibus, regia videlicet, optimatum ac populi, iuncta esset, cum in ea consules regiam, Senatores optimatum, plebs popularem autoritatẽ ac potestatem haberet. Perfectam vero, quia æquissimis erat legibus tẽperata, sanctam autẽ, quia summus paupertatis ac parsimoniæ honos habebatur, quam ij viri tractarunt, qui à Pyrrhi regis bello usq; ad tertium bellũ Punicum vixerunt: quo tempore cum vetere labante disciplina, totius civitatis mores inclinare, & ad levitatem iam nimiam atq; ambitionem incumbere cœpissent, luxuria præsertim per Asiaticos triumphos in civitatẽ invecta, atq; exterarum gentium metu amoto, à quibus Pyrrho rege pulso, Pœnis duobus asperrimis bellis devictis, tertio verò funditus excisis, Philippo, Perseo, Antiocho regibus potentissimis superatis, Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Gręcia, Africa, Provincijs in dicionẽ populi Romani redactis, iustã principatus orbis terrarũ atq; imperij confessionẽ extorserunt. Et qui usq; eo verè optimus Reipublicæ status fuerat, is primum sensim ac leviter tentatus, deinde apertè translata iam ad iniustũ populi dominatũ Republica, funditus labefactatus atq; eversus est. Hunc autẽ statum duo Gracchi, Saturninus & Drusus Tribuni plebis furiosi atq; amentes, partim agrarijs, partim iudiciarijs legibus ferendis, quibus optimatum potentiam frangerent, plebis confirmarent, cum aut eorum agros plebi divisissent, aut antiquam iudiciorum autoritatem à Senatoribus ad equites transtulissent, partim civitate socijs danda, ut suffragiorum plebeiorum mulitudine facilius nobilitatis opes in comitijs comminuerent, partim frumento largiendo; quo ad omnia quæ in Republica molirentur, plebem

eo devinctam munere, paratiorem haberent, intulerunt, ac præstantissimum illum optimæ consensum Reipublicæ perturbarunt, iniustum populi dominatum stabilientes. A quo deinceps tempore, maiores in Republica populi plebisq;, quam optimatum, opes extitêre, quippe quę omnium iam honorũ, quos soli patricij obtinuerant, particeps facta præterea Tribunatum, quibus patricijs, ac tributa comitia, quibus optimatibus omnino interdictum erat, adepta, adhæc agris, iudicijs, frumento, sociorum suffragijs aucta atq; locupletata, universam Rempublicam ut in potestate haberet, sic ex libidine administraret.

Quem plebis iniustissimum Dominatum L. tandem Sulla Felix Dictator bello civili adversæ factionis victor, sustulit, qui imperio quod à senatu acceperat lege Tribunicia à C. Mario spoliatus, extorta armis ex inimicorum manibus Republica, Tribunorũ plebis potestate admodũ imminuta, plebe agris pulsa ac trucidata, iudicijs senatui redditis, rursum optimatum Rempublicã stabilivit, popularemq; convulsit. Verum ne hic quidem diuturnus status admodum fuit. Nam paucis post annis Cn. Pompeius in primo Consilatu, antiqua Tribunis plebis potestate ac dignitate restituta, plebe ad iudicia cum senatoribus & Equitibus lege Aurelia advocata, vetus illud optimæ Reipublicæ quæsijsse temperamentũ videbatur, quod mutatis, imò corruptis iam penitus totius civitatis moribus, atq; avaritia iam cum ambitione latissimè grassantibus, assequi nullo modo potuit. Ita perturbato sœpe Reipublicæ statu, crebro à paucis, de ea universa occupanda cogitatum est: Tum enim Piso, tum Catilina, cum alijs eiusdem furoris socijs adversus Rempublicam conspirarunt: tum Cæsar, Crassus & ipse forte mutata mente Pompeius, inita societate extraordinarias opes, quæ liberæ civitati iure formidabiles essent, sibi quæsierunt, qua dirempta, civilis repente discordia, ac totius Reipublicæ perturbatio consecuta est, cum Cæsaris potentiam senatus, Pompeij (nã Crassus interierat) populus ferre nõ posset: Demũ fatali Reipublicæ prę lio ad Pharsalum victo Cn. Pompeio atq; optimatũ factione afflicta, rursus ad iniustũ unius Cæsaris dominatũ Respublica recidit: quo ab ijs qui libertati studebant interfecto, cum reviviscere prisca patrũ gravitas, atq; ad spem pristinæ autoritatis quodammodo respirare videretur, haud ita multo post, in ipsomet recuperandę Reipublicæ apparatu, à populo cui Antonius, ac post etiã C. Octavius, qui Cæsaris partes vindicandas ambo susceperant, servierunt, sublata funditus atq; oppressa est: cũ hi inauditum antea Triumviratũ in Rempublicam intulissent, ac nefariam optimatum atq; inimicorum suorũ proscriptionẽ & cædem fecissent: Bruto autẽ & Cassio, qui in Oriente optimatũ partes contra Triumviros tuendas susceperant, cæsis, nulla deinceps publica arma Triumviris infensa fuerũt. Sex. vero Pompeio Magni F. apud Siciliã oppresso, exuto Lepido, et postremo interfecto Antonio, ne Iulianis quidẽ partibus nisi Cęsar Octavius dux reliquus erat. Is posito Triumviri nomine consulem se ferens, atq; ad tuendam plebem Tribunitio iure contentus, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit, insurgere

paulatim,

paulatim, munia senatus, Magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante, cũ ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, cæteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quam vetera & periculosa mallent: neq; provinciæ illum statum abnuebant, suspecto senatus populiq; imperio, ob certamina potentium et avaritiam magistratuum invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Itaq; Cæsar cunctis discordijs civilibus fessis, & tanquam bellorum civilium, quæ ipse consererat, præmium, sub principis nomine, totius ad se Reipublicæ ius, potestatem atq; imperium, quod ab initio regum, post magistratuum, senatus ac populi fuerat, in perpetuum transtulit. Hoc igitur modo Imperium singulare populi Romani, orbi illatum per Augustum fuit. Hæc ille.

Nunc redeo ad seriem annorum secundæ Tabulæ, quæ tempora quatuor Monarchiarum orbis terræ complectitur: ostendimus autem supra Tertiam Monarchiam quæ est Græcorum ab obitu Alexandri Magni usq; ad Iulium Cæsarem durasse annos 277. Iulius autem Cæsar imperavit annis 5. usq; ad Augustum, hinc Ptolemæus à morte Alexandri Magni usq; ad interfectum Iulium Cæsarem rectè numerat nobiscum annos 282. Porrò anno Augusti imperatoris 42. natus est ex virgine Maria Filius Dei Dominus noster IESVS CHRISTVS, à cuius Nativitate iam labitur Annus 1574.

Summa igitur omnium annorum à Iulio Cæsare usq; ad præsentẽ annum sunt anni 1621. Tam diu usquead nostram ætatem hæc quarta Monarchia stetit.

Cumq; propè sit Tempus ut Deus Cœli suscitaturus sit REGNVM quod in æternum non discipabitur, quodq; comminuet & consumet cum reliquis tribus Monarchijs quoq; hoc singulare atq; ultimum imperium Romanum, Vigilemus & Oremus ut Christo Filio Dei venturo ad iudicandum vivos & mortuos, & illud cæleste atq; perpetuum regnum inchoaturo obviam in aëra rapi & semper cum ipso esse mereamur.

De quinquennio Iulij Cæsaris hoc obiter addere libet. Anno ab V.C. 706. Iulius Cæsar circa Calendas Iulias Cn. Pompeium ad Pharsalum in Thessalia vicit, & eodem die solus imperare cœpit: hic est primus, annus Iulij quo tantũ sex menses & aliquot dies ante prædictas Calendas Iulias comprehendit, eodem anno mense Octobri in Ægyptum venit, & Alexandriæ ad novem menses commoratus est, adeo ut ad Iulium mensem sequentis anni ab V.C. 707. tandem Romam reversus sit, cum interea absens à M. Antonio creatus esset Dictator, ne careret nomine legitimi Magistratus, atq; hoc secundo anno reliquum ferè tempus Romæ mansit.

Tertio anno qui fuit ab V.C. 708. bellum in Africam transtulit, & Scipionem, Iubam & Afranium vicit, Cato sibi ipsi mortẽ conscivit,

ne


ne vivus in manus Cæsaris incideret. Anno ab V.C. 709. In Hispania ad Mundam die 17. Martij filios Pompeij debellavit.

Sequenti anno qui erat quintus imperij ipsius ab V.C. 710. interfectus est à coniuratis die 15. Martij. Hic annus tantum duos menses & dies 15. complectitur:

Hinc à veteribus scribitur imperasse annos. 3. menses 8. & dies aliquot: propterea quod primus & ultimus annus imperij ipsius non fuerunt completi, qui ambo coniuncti tantum menses octo, & dies aliquot constituunt.

Verum in Chronologijs necesse est ut eius imperium ad quinquennium extendatur, propter præteritorum & sequentium temporum analogiam, & Chronologi hic non respiciunt, quot annos, menses atque dies præcise regnarit, sed quo anno ab V.C. oppressa Republica Romanorum cœperit tanquam summus Monarcha imperare, & quo anno debitum soluit naturæ, atque Augustum successorem in quarta Monarchia post se reliquit.

Finis libri secundi de Scrupulis Chrnologorum.
Deo Soli Laus honor & gloria. Amen.



DE SCRVPVLIS
CHRONOLOGORVM
LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO.



PErvenimus ordine ad tertium librum de Scrupulis Chronologorum, in quo cum series Annorũ Mundi per Olympiades Græcorum deducenda sit, pauca de nomine, initio, progressu & fine Olympiadum commonendi lectoris caussa prius præfabimur.

Olympia numero singulari locus est in Achaia, inter Elidem & Pisam urbes, ubi Hercules instituit ludos sive certamina, quę quinto quoq; anno (expletis quatuor annis intermedijs) iterabantur, & Olympia pluraliter dicta sunt: Solent enim Græci Festivitatum & certaminum suorum nomina pluraliter neutro genere efferre, qualia quoq; sunt Pythia, Nemea, Isthmia, & id genus alia. Nam cum Augeæ regis Eliorum stabulum purgasset Hercules, nec promissam pro labore suo retulisset mercedem, ingenti conscripto exercitu Eliorum regem Augeam occidit, Elidem occupavit, ac multis obtentis spolijs hos ludos atq; certamina instituit in gratiam illorum, qui in bello auxilium illi tulerant. Initium Olympiorum incidit in annum Mundi 2758.

Sed huius Agonis Olympici ab Hercule instituti, nihil præter memoriam ob latrociniorum infestationem remansit, donec tandem longo tempore post Iphytus & Eurylochus Cyrrhæis (prædones ad maritima Phocidis detinentibus) debellatis, ex magna prædæ vi, quam ab ipsis adepti erant, ludos & spectacula huiusmodi redintegrarunt, Iphytus quidem Olympia, Eurylochus vero Pythia, anno à prima institutione Herculis 430. anno vero Mundi 3188.

Atq; ab hoc tempore inchoantur Olympiades Græcorum, secundum quas Græcis longo tempore usitatum fuit seriem rerum gestarum in publicis monumentis perscribere, & ab hoc tempore Græcorum historia vera creditur, nam ante hoc tempus sicut Eusebius scribit, ut cuiq; visum fuit, diversas sententias de rebus in Græcia gestis protulerunt.

Sumi etiam initium certum potest, retrò numerando. Quia certissimum est, regni Alexandri Magni mox post mortem Philippi patris initium esse primum annum Olympiadis centesimæ undecimæ.

Nomen autem Olympias comprehendit annos quatuor. Et factum est ab ordinario conventu Græcorum ad Elidem, qui celebrabatur,

tur, ut dictum est, semper post quartum annum, in mense, qui Grecis initium erat anni, videlicet in Plenilunio, quod Solstitio æstivo proximum est. Sic conventus ille anni initium Græcis erat, ideo series annorum inde sumebatur: Sed cum nos ordiamur annum paulo post Solsticium hybernum à mense Ianuario, & series temporum apud Chronologos iuxta hoc initium anni communiter sumatur, non possunt res gestæ aliorum populorum (qui eodem initio anni utuntur) cum rebus gestis in Græcia annuo spacio præcisè includi: Olympia enim medium quemque annum dispescunt, & semper ex uno anno secundum communem calculum, quodammodo duos constituunt, dum tempus medium præterito anno, reliquum vero sequenti attribuunt. Hinc Dionysius Halicarnassæus inter alia & hoc reprehendit in Thucydide, quod eventa belli Peloponnesiaci per initia et exitus annorum Olympiadum ita digesserit, ut cum rebus gestis exterorum vix commodè coaptari queant.

Non igitur est mirum si in Collatione temporum sœpe uno anno inter se variant Chronologi, qui Græca cum peregrinis conferunt, nam frequentissime fieri solet, ut aliquid quod præclarè gestum est extra Greciam ante aut post Olympia, uno tamen eodemque anno, idipsum ab hoc in annum quartum Olympiadis elapsæ, ab altero in annum primum Olympiadis proximè sequentis referatur: nec fit hoc tantum in quinquennali reditu Olympiacorum ludorum, sed etiam per intermedium quadriennium, quod ab unis Olympijs ad alia numeratur.

Hac de re antea monui lib. 1. cap. 21. & lib. 2. cap. 32. & qualiter tempora per seriem Olympiadum digerantur, exemplo belli Peloponnesiaci in Chronologia ad oculum demonstravi.

Porro series Olympiadum duravit usque ad Annum Dominicæ Incarnationis 532. quo anno Dionysius Abbas Romanus Paschalem Circulum instituit, & tempora à Nativitate Christi primus numerare docuit, cum à prima Olympiade usque ad ultimam essent Olympiades 327. elapsæ, quæ continent summam 1308. annorum.

Caput I.

IN prioribus duobus libris initio dedimus singulas Tabellas, ex quibus universam seriem annorum Mundi iuxta sacra Biblia & quatuor summa imperia orbis, quas Monarchias vocant, una quasi Synopsi intueri & animo concipere queamus, ut postea de Scrupulis Chronologorum utrinque incidentium iudicium melius formari possit: Nunc tertio huic libro continenti seriem annorum Mundi secundum Olympiades Græcorum, quoque Tabellam suam præfigemus, atque inde ad excutiendos Scrupulos, qui hac in parte magno numero inciderunt, nobis viam parabimus.

III. TABVLA ANNORVM MVNDI, EX SERIE OLYMPIADVM GRAECORVM SVMPTA.

1656. A Condito Mundo ad Diluvium.
828. A Diluvio ad initium regni Troiani.
297. Ab initio regni Troiani usque ad captam Troiam sub Agamemnone Imperatore Græcorum.
406. A Capta Troia usque ad primam Olympiadem sub Æschylo F. Agamnestoris principe Atheniensium.
256. Ad Olympiadem 65. & annum secundum Darij Hystaspis F. regis Persarum.
548. Ab anno secundo Darij usque ad Olympiadem 202. & annum 15. Tiberij Imperatoris Romanorum.

Ab his 548. annis aufer ætatem Christi, qui anno decimoquinto Tiberij erat annorum 29. sive incipiebat trigesimum annum, ut Lucas scribit cap.3.

Summa omnium annorum ab initio Mundi usque ad Nativitatem Christi 3962. 1574 à Nativitate Christi usque ad præsentem annum.

Summa omnium annorum ab initio Mundi usque ad præsentem annum 5536.

In hac Tabula series annorum Mundi usque ad Olympiadem primam, & deinceps series ipsarum Olympiadum per se est plana sine ullis scrupulis, sed res gestæ, quæ ad seriem Olympiadum referuntur tot Scrupulis involutæ sunt, ut numerum vix comprehendere liceat, de quibus, ijsque præcipuis postea ordine narrationem instituemus.

Caput II.

DE ANNIS A CONDITO MVNDO VSQVE AD DILVVIVM ET HINC VSQVE AD INITIVM Regni Troiani.

DE annis 1656. à condito Mundo usque ad Diluvium dictum est supra lib.1.cap.2.

De tempore vero à Diluvio usque ad initium regni Troiani, ita inquit Archilochus in Epitoma sua.

Maseas Phœnix Damascenus libro nonagesimo septimo historiarum asserit ante Ninum fermè ducentis quinquaginta annis fuisse inundationem terrarum, & quendam (cui testimonium perhibet Moses antiquissimus historicus) liberatum circa fluvium Araxim ad montes Caspios, tumque recenti cœlo & rudi humano genere vixisse auream vitam, in qua nullo ferente legem natura ipsa vivebatur, quousque Ninus & Se-

miramis

miramis arma populis inferentes primi vitam viciare cœperunt humanam. Tradunt igitur Chaldæi uno & trigesimo atque centesimo ab Ogyge anno regnasse apud se Saturnum avum Nini, annis sex & quinquaginta, primumque Babyloniæ fundamenta iecisse: Hunc secutum fuisse filium Belum Iovem & rexisse Chaldæos & Assyrios annis duobus & sexaginta: Ninū vero duobus & quinquaginta: Semiramidem duobus & quadraginta, Ea Babyloniam magnitudine indicibili extruxit.

Supputantur igitur à Nino ad secundum annum Spheri, quo ortus est Deucalion, anni unus & quinquaginta supra quadringentos: septingenti vero à prima inundatione novimestri, à qua ad Troiam colligit Maseas non minus octo & viginti supra octingentos annos.

SCHOLION.

De serie centum triginta unius annorum ab inundatione terrarum ad Saturnum avum Nini, item de ducentis quinquaginta annis ab eodem tempore usque ad Ninum vide supra lib.2.cap.2. Porrò septingenti anni à Diluvio Ogygis, qui est Noe, usque ad secundum annum Spheri, quo ortus est Deucalion, cuius Diluvium Græci cum diluvio Ogygis confundunt, numerantur hoc modo.

A Diluvio Ogygis usque ad Saturnum avum Nini sunt anni	131.
A Saturno ad Belum Iovem Babylonicum.	56.
A Belo ad Ninum.	62.
Ninus primus Monarcha Assyriorum regnavit annis	52.
Semiramis.	42.
Zameis Ninias.	38.
Arius.	30.
Aratius.	40.
Baleus, cognomento Xerxes.	30.
Armatrites.	38.
Belochus Priscus.	35.
Baleus iunior.	52.
Altadas.	32.
Mamitus.	30.
Mancaleus.	30.
Spherus, cuius anno secundo ortus est Deucalion.	20.

Summa annorum omnium à Diluvio Ogygis usque ad secundum annum Spheri regis Assyriorum sunt anni. 700.

Ab hac summa abijce annos 250. qui fluxerunt à Diluvio Ogygis usque ad Ninum, & remanebunt anni 450. qui supputantur à Nino usque ad secundum annum Spheri.

Postremò, series annorū 828. à Diluvio Ogygis, sive à prima inundatione terrarum usque ad initium regni Troiani ita tandem pertexitur.

A Diluvio Ogygis usque ad secundum annum Spheri Regis Assyriorum sunt anni.	700.
Spherus adhuc regnavit annis.	18.

Mamelus.	30.
Sparetus.	40.
Ascatades.	40.

Summa annorum à secundo anno Spheri usq; ad Amyntam successorem Ascatadis & Dardanum primum regem Troianorum, sunt anni 128. qui adiecti superioribus annis 700. constituunt annos 828. Idq; est verum tempus à Diluvio Mundi usq; ad initium regni Troiani.

Obiter & hoc observandum est, Diluvium Thessalicum quod est ordine quartum (nam à Xenophonte in Æquivocis quinq; commemorantur) incidere in annum 82. Deucalionis, Perperam igitur Ovidius in suo Chronico hoc diluvium cum diluvio Nohę confundit, quod 782. annis antecessit. Nec ullius ferè vetustioris historiæ memoria apud Gręcos extat, astipulante C.V.D. Chytræo in Chronologia sua.

Caput III.

VT in tempore à Diluvio Noe usq; ad initium regni Troiani nullus est scrupulus, ita series annorum ab initio regni Troiani usq; ad destructionem eiusdem plana est, si per tempora regū Troianorum, quemadmodum ea annotata sunt ab Archilocho ritè deducatur. Testantur autem non solum gravissimi Chronologi ea tempora fidelissimè ab Archilocho annotata esse, sed etiam ipsa harmonia aliorum imperiorum cum regno Troiano collata eidem honorificè suffragatur.

Porro reges Troianorum ab Archilocho hoc ordine recensentur.

TABELLA REGVM TROIANORVM
SVMTA EX ARCHILOCHO.

DARDANVS regnavit annis	31.
Erichtonius	75.
Tros.	60.
Ilus.	55.
Laomedon.	36.
Priamus.	40.

Summa annorum ab initio regni Troiani usq; ad captam Troiam sub Agamemnone imperatore Græcorum. 297.

Incidit igitur excidium Troiæ in annum Mundi 2782. quod Chytræus in sua Chronologia multis testimonijs vetustissimorum autorum probat atq; demonstrat: Cumq; eadem testimonia nō parum ad nostrū institutum faciant, libuit nonnulla huc apponere, reliqua differemus & collocabimus in suum locum, nimirum ubi libro quarto de Intervallo à Troia capta usq; ad Vrbem conditam dicendum erit.

TROIA (inquit) propter adulterium Paridis eversa est, ὅπως κατοφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποις γένηται, ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τοῦ θεοῦ. Hoc est, ut planum fieret hominibus, quod magnarum iniuriarum ma-

gnæ

gnæ paratæ essent ultiones atq; pœnæ apud Deum. Herodot. lib. 2.

Cum autem hic annus Mundi 2782. quo Troiam à Græcis captam ponimus, fundamentum sit præcedentis Chronologiæ rerum Græcarum, quæ belli Troiani tempora antecesserunt: brevem admonitionem, quorum scriptorum testimoniis adductus Excidium urbis Troiæ ad hunc annum mundi 2782. retulerim.

Nam præcipui & gravissimi autores, Dionysius Halicarnassæus, Diodorus Siculus, Sempronius Romanus, Trogus Pompeius, Strabo, Velleius Paterculus & Eusebius consentientibus ferè suffragiis affirmant urbem Romam annis 430. post Troiæ excidium à Romulo conditam esse.

Certum est autem conditam esse Romam annis 750. ante natum Christum, anno Mundi 3212. Hinc si retro numeres annos 430. incidet excidium Troiæ in annum Mundi 2782.

Hoc anno excidii Troiani accuratè constituto, intelligi aliquo modo potest, ad quæ mundi tempora Historia Io, Europæ, Medeæ, Helenæ. Item Cadmi, Minois, Oedipi, Theræ, Minyarum, Argonautarum & cæteræ vetustiores, pertineant.

Testimonia autorum, quos nominavi, nota sunt. Nam apud Dionysium libro secundo disertè hic numerus ponitur, & quidem, ne casu eum excidisse putemus, ter repetitur.

Diodorus Siculus initio libri 14. à capta Troia usq; ad finem belli Peloponnesiaci, & captas à Lysandro Athenas, numerat annos 779. sunt autem captæ Athenæ Olympiade 94. seu anno Mundi 3561. Hinc si retrò numeres, & annos 779. subtrahas, incidet excidium Troiæ præcisè in annum Mundi 2782.

Idem Diodorus Siculus in principio lib. 19. ab excidio Troiæ usq; ad principium Tyrannidis sive regni Agathoclis ponit annos 866. Cœpit autem Agathocles regnare Syracusis, cum Romæ L. Plotius, & M. Fulvius Coss. essent, anno Mundi 3648. Hinc si demas annos 866. excidium Troiæ præcisè incidit in annum Mundi 2782.

Sempronii & Strabonis testimonia recitabimus infra.

Trogus Pompeius, quem Iornancles citat, Cyri bellum adversus Tomyrin Massagetarum reginam, annis 630. post Troianum bellum scribit susceptum esse. Is numerus incidit in annum Mundi 3412. quo Cyrus Persa Astyagem regem Medorum avumq; suum maternum cepit.

Ac rectè quidem Trogus Pompeius & Iornandes à Troia capta usq; ad tempora Cyri Persæ numerant tot annos, sed de differentia inter Cyrum Persam & Cyrũ Medum & de bello Massagetico satis superq; dictum est supra lib. 2. cap. 20.

Vellei Paterculi testimonium examinabimus quoq; infra.

Sed ut redeamus ad tempus regni Troiani, quod initio huius capitis annorum 297. esse ostendimus, potest illa summa quoq; ex Harmonia aliorum collateralium regnorum facilè colligi, ac potissimum ex se-

rie

rie regum Assyriorum. Nam ab Amynta rege Assyriorū cum quo Dardanus Troianis imperare cœpit usq; ad 24. annum Teutanis regis Assyriorum, quo Troia capta fuit, præcise quoq; numerantur anni 297: Idem numerus & ex Biblijs haberi potest, si quis retrò per tempora Iudicum, Iosuæ & Mosis recurrat.

Quod aliqui præterea tres annos adijciunt ut tempus regni Troiani sit annorum 300. ideo fit quia cum Manethone aliter numerant annos Dardani & Erichtonij priorum regum Troianorum quam Archilochus, huic annos 46. alteri 64. attribuentes: Sed hunc calculum Funccius meritò reijcit, & (quod ad Dardanum attinet) impossibilem esse dicit.

Caput IIII.

CONstituto certo & fixo anno captæ Troiæ, iam non solum consequentium regnorum (ut proximo capite in regno Latinorum apparebit) sed etiam vetustissimorum aliquot regnorum seriem, initia, progressus & fines ex abaco Eusebij et aliorum venari ac comprehendere possumus, qualia sunt Sycioniorum, Argivorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum & Corinthiorum, quæ vel ante vel post Troiam captā in Asia maximè floruerunt, & quorum seriem rectè cognitam habere, ad intelligendam historiam illorum temporum non parum prodest.

Cum igitur Troia caperetur Polyphides rex trigesimum annum apud Sycionios regnabat: iam ab hoc anno per Tabellam regum Sycioniorum retrogredere usq; ad primum annum Ægyalei primi Sycioniorum regis, & erit initium regni Sycioniorum Anno Mundi 1874.

Sic à decimotertio anno Agamemnonis, quo Troia capta est recurrendo usq; ad Inachum primum regem Argivorū, incidit initium regni Argivorum in annum Mundi 2108.

Porrò quod ad regni Atheniensium initium attinet, pendet idipsum ex annis Demophoontis regis, cuius anno primo Ilium captum esse scribit Clemens Alexandrinus in Stromat: ex Dionysio Argivo, sed constat Demophoontem à Troia redeuntem tempestate in Thaciam delatum fuisse, ubi apud Phyllidem reginam aliquantisper hæsit: & cum interea Mnestheus rex Atheniensium in Insula Melo moreretur, cœpit ille postea regnare circiter annum secundum post Troiam captam anno Mundi 2784. A Demophoonte autem in anteriora ascendendo usq; ad Cecropem primum regem Atheniensium reperitur initium regni Atheniensium congruere cum anno Mundi 2405.

Initium regni Lacedæmoniorum refertur ad descensum Heraclidarum in Peloponnesum anno Mundi 2864. de quo tempore prolixior tractatio extat lib. 2. de Scrupulis Chronologorum cap. 35.

Primus

Primus autem Rex Lacedæmoniorum fuit Euryſthenes, qui regnavit annis 42. Secundus Agis, qui regnavit unum tantum annum. Tertius Echeſtratus, ſive Archeſtratus, qui regnavit annis 35. A Labota quarto rege deinceps continua ſeries aliorum in Chronologia ſequitur, uſq; ad Polydorum Alcamenis filium. A Polydoro autem qui deinceps regnarint uſq; ad Alexandrum Magnum reperies lib. 3. cap. 13.

Eodem autem anno, quo Heraclidæ, nimirum Euryſthenes & Procles in Peloponneſum deſcenderunt, cœpit regnare primus rex Corinthiorum Alethes: ideoq; regnum Lacedæmoniorum & Corinthiorum idem initium habent.

Alij initium regni Lacedæmoniorum referunt ad annum octavũ Alethis regis Corinthiorum, quo Heraclidæ Spartam metropolim Peloponneſi obtinuerunt, ita incideret initium regni Lacedæmoniorum in annum Mundi 2871. qua de re lectorem quoq; admonuimus loco ſupra citato.

SCHOLION.

Scimus Gerhardum Mercatorem diligentiſſimum Chronologum reges Argivorum triginta annorum ſpacio in conſequentia promovere, ut trigeſimum quintum annum Danai regis Argivorum cum vigeſimo octavo anno Pandionis regis Athenienſium, & cum anno quo Corinthus condita dicitur ad unum tempus coaptaret: ſed quia de initio conditæ Corinthi opiniones variant, nolim propter hoc incertum fundamentum receptos numeros Euſebij mutari, etſi enim apud vetuſtiſſimos autores interdum aliquid aliter annotatur, quam recepti numeri Euſebij atq; aliorum Chronicorum habent, tamen propter unicum locum Syſtema aliorum temporum non eſt facile rumpendum, & Euſebius plura longè certius annotavit quàm pleriq; veteres, id quod in regibus Sycioniorum quoq; patet, qui apud Pauſaniam lib. 2. hiſtoriæ rerum Græcarum nec vera ſerie, nec annotato regni cuiusq; tempore ita referuntur, ut multò tutius ſequamur Euſebium: & cum ibidem ſcribatur Agamemnonem poſt Zeuxippum regem Sicyonios coëgiſſe regum Mycenæorũ imperata facere, opus foret Mercatorem non ſolum nihil adimere tempori regum Argivorum, ſed id quod ademit ferè duplicare, ſi Zeuxippi & Agamemnonis tempora coaptare vellet.

Agamemnon ſecundum Mercatorem cœpit regnare Anno Mundi. 2766.

Zeuxippus vero Anno Mundi 2832. Intervallum igitur eſt annorum 68.

Caput V.

IAm de annis 406. à capta Troia usq; ad primam Olympiadem quoq; nullum dubium esse potest, cum quod hic numerus ab Eusebio & alijs vetustioribus historicis diligentissimè est annotatus, tum quod harmonia rerum Chronologicarum nec plures nec pauciores annos huic intervallo temporum attribui permittit.

Quod vero Eusebius etiam ab aliquibus tantum 405. annos numerari ait, id fit propter diversitatem initiorum anni, quam Græci ante & post instituta Olympia aliter inchoare soliti sunt quàm Romani: unde in collatione temporum Græcorum & Romanorum interdum duo anni facilè in unum coalescunt, sicut econtra unus annus facilè in duos divelli potest. Cumq; primus annus ab urbe Roma condita incidat in annum primum septimæ Olympiadis, iam sex præcedentes Olympiades elapsæ constituunt annos 24. qui additi superioribus 406 annis à capta Troia usq; ad primam Olympiadem efficiunt annos 430. quod est verum tempus à capta Troia usq; ad primum annum urbis Romæ conditæ.

Glareanus & alij cum Dionysio Halicarnasseo ad hanc summam præterea duos annos adijciunt, nam à capta Troia usq; ad urbem Romam conditam numerant annos 432. & hic numerus in quibusdam exemplaribus Dionysij ter repetitur, licet Chytræus priorem numerum citet. Sed & posterior numerus nihil derogabit Chronologiç nostrç, sed magis eam confirmat, si diligenter examinaveris ea quæ de certo & fixo anno urbis Romæ conditæ tractavimus infra lib. 4. cap. 2.

Nunc reges Latinorum ab Ænea usq; ad Romulum primum regem Romanorum adijciam, ex quorum serie anni prædicti à Troia capta usq; ad primam Olympiadem, & consequenter usq; ad urbem Romam conditam evidentissimè resultant. Sequar autem, ne quem sua laude defraudem, hac in re Glareanum, nisi quod in annis Capeti Sylvij magis Eusebium & Funccium imitari cogor, quippe cum videam etiam ipsum Glareanũ in annis Ascanij secundi Latinorum regis, & ab Agrippa Sylvio undecimo rege Latinorum usq; ad finem regni Latini magis Eusebium quàm Dionysium imitatum fuisse.

Caput



Caput VI.

TABELLA REGVM LATINORVM AB AENEA ANCHISAE FILIO VSQVE AD ROMVLVM primum regem Romanorum.

CVM Troia capta ſit decem & ſeptem diebus ante Solſticium æſtivum, & ex eo anno poſt Solſticium tantum viginti dies ſupereſſent uſq; ad finem anni iuxta Atticam ſupputationem temporum, Troiani circiter Æquinoctium autumnale per Helleſpontum in Thraciam profecti Duce Ænea, atq; ibidem eam commorati ſunt hyemem, ut ſuſciperent ex fuga reliquos, ac appararent ad navigationem neceſſaria. Quod ubi factum eſt, veris principio in Siciliam uſq; navigarunt, finitusq; eſt primus annus.

Secundo anno in Sicilia per hyemem manſerunt, deinde navigabili facto mari ex Sicilia ſolventes, Thyrrenum tranſmittunt mare, in Laurentem profecti agrum, ubi iſto cum rege Latino fœdere ac accepta agri quadam portione, Lavinium condere cœperunt.

Tertio hoc anno ab exitu à Troia Æneas ſolis Troianis imperat, ducta in matrimonium Lavinia Latini regis filia, unde & Lavinium nomen habet.

Quarto anno Latinus Rex pugna qua adverſus Rutulos ac eorũ ducem Turnum, ipſe cum ſuis ac genero Aenea Troianisq; ſtetit, occiditur, & regnum iure belli affinitatisq;, ad Aeneam venit, qui & ſuis & Latinis deinceps imperavit annis tribus: Septimo autẽ anno poſt Troiã captam (qui quartus erat poſt Latini obitum) ipſe in pugna ad Numicum annem, qua adverſus Hetruſcos ac Mezentium eorum regem ſtetit, ultimùm viſus eſt: & ſub finem ſeptimi anni eius filius Aſcanius imperare cœpit, qui fuit Aeneæ ex Creuſa filius, Lavinię privignus.

ASCANIVS II Latinorum rex annis 38. Anno 25 regni ſui, qui eſt triceſimus à Lavinio condito, ſed triceſimus ſecundus à Troia capta, Aſcanius novam cœpit condere urbem Longam Albam, relinquens novercæ Lavinium: Atq; hinc Strabo lib. 5. ab Alba condita uſq; ad Amulij & fratris Numitoris hiſtoriam numerat annos 400.

SYLVIVS III Latinorum Rex annis 29. Hic Aeneæ ex Lavinia poſthumus fuit filius, Aſcanij frater, quod autem in Sylva educatus erat, Sylvius dictus eſt, ac deinceps quoq; ita dicti ſunt omnes reges Albani.

ÆNEAS SYLVIVS.	IIII	Latinorum rex, annis	31.
LATINVS SYLVIVS.	V.		51.
ALBA SYLVIVS.	VI.		39.
ATYS SYLVIVS.	VII.		24.
CAPYS SYLVIVS.	VIII.		28.
CAPETVS SYLVIVS.	IX.		13.
TYBERINVS SYLVIVS.	X.	Latinorum Rex annis	8.
AGRIPPA SYLVIVS.	XI.		40.
ALLADIVS SYLVIVS.	XII.		19.
AVENTINVS SYLVIVS.	XIII.		37.
PROCAS SYLVIVS.	XIIII.		23.
AMVLIVS SYLVIVS.	XV.		44.

In annum 21 Amulij Sylvij incidit Olympias prima Græcorum, Collectis igitur annis regum Latinorum ab Ænea usque ad 21 annum Amulij Sylvij efficitur

Summa omnium annorum à capta Troia usque ad Olympiadem primam. 406.

SCHOLION.

Atys Sylvius VII rex Latinorum à Dionysio Capetus Sylvius dicitur, quod nomē si quis retinere voluerit, necesse est ut regem nonum Latinorum nominet Capetum Sylvium secundum aut iuniorem, nam quod à plerisque Calpetus Sylvius dicitur admodum barbarè sonat, Alladius Sylvius apud Eusebium Remulus Sylvius vocatur, ac plura nomina apud scriptores habet, de quibus Glareanus in suis annotationibus.

Caput. VII.

QVæ in Tabula annorum Mundi secundum seriem Olympiadum sequuntur, nimirū intervallum ab Olympiade prima usque ad sexagesimam quintam & deinceps ab eadem Olympiade usque ad ducentesimam secundam, per se ipsa constituunt tempus illud 256. annorū à prima Olympiade usque ad secundum annum Darij Hystaspis, & deinceps reliquum tempus annorum 548. à secundo anno Darij Hystaspis usque ad 15. annum Tiberij Romanorum Imperatoris, nisi quod hoc observandum venit, secundum annum Darij Hystaspis non præcisè incidere in Olympiadem 65. sed in annum tertium Olympiadis 64. quod etiā ipsum Eusebium non latuit, dum eundem annum bis repetivit, & hac de re nos alibi quoque monuimus lectorem lib. 2. De Scrupulis Chronologor: cap. 16. Porrò si duos illos annos (quorum causa Eusebius anticipat secundum annum Darij Hystaspis) sustuleris à priori summa annorū 256. eosque addideris ad posteriorem summā annorum 548. habebis nihilominus verum numerum omnium annorum Mundi ad CHRISTVM natum 3962. per ordinē Olympiadū continua & nusquā interrupta serie deductum. Memineris tamen iterum ætatem Christi, quæ à natali ipsius usque ad 15. annum Tiberij effluxit, prius ab hac summa adimendam esse.

Caput

Caput VIII.

NVNC Deo volente ordine quoq; ostendam qui Scrupuli in quas Olympiades inciderint,& quomodo excuti possint, ut sua tamen seriei temporum salva maneat,aut potius restituatur harmonia,inde quantum lucis historijs sacris & prophanis accessurum sit res ipsa indicabit.

DE PRIMA OLYMPIADE.

Non potest dici quanta sit diversitas opinionum omnium Chronologorum de tempore quo vixerint Homerus & Hesiodus antiquissimi Poetæ,ac licet Archilochus novem Homeros prodiderit,tamen de illo Homero cuius celeberrima duo Poemata Ilias & Odyssea extant adhuc sub iudice lis est: Verum si voluerimus inniti autoritate probatissimorum scriptorum Solini,Herodoti,Plutarchi, & Plinij,ex hac prima Olympiade facilè omnes Scrupulos,qui hic latent evitabimus.

Solinus cap.43.scribit Hesiodum obijsse in ipsis auspicijs primæ Olympiadis, nimirum anno Mundi 3188. Homerum vero obijsse 272 annis post bellum Troianum, anno mundi 3054:obijt igitur Homerus 134. annis ante Hesiodum anno 158. ante Romam conditam Agrippa Sylvio Albæ regnante.Iam Herodotus quoq; annotat tempus quo natus fuit Homerus nimirum 168. post bellum Troianum, anno Mundi 2950. Et in hoc tempore Plutarchus gravissimus autor quam proximè accedit Herodoto,licet non ignoret hic alios scriptores maximè variare: Inde colligitur Homerum vixisse annos 104. In tanto spacio ætatis difficile fuit annotare quo tempore idem floruerit,cum Herodotus eum vix pubertatis annos egressum scholam aperuisse, & iam tum in admiratione maxima fuisse testetur, ac si à trigesimo ætatis anno vix tandem primum inclarescere cœpisset, atq; inde per septuaginta quatuor reliquos annos vitæ suæ floruisset,tamen non facilè quis fixum annum in Chronologijs annotaret, quo eum in tanto curriculo temporis maximè enituisse asserere posset: Atq; inde etiam aliqua ex parte vel ex hoc solo fonte tot Scrupuli de ætate Homeri emanare potuerunt, donec tandem omnia incertis opinionibus involverentur.

Huic incertitudini ut mederetur Herodotus omnium historicorum longè diligentissimus, scripsit Homerum & Hesiodum quadringentis non plus annis ante suam ætatem extitisse. Id igitur de tempore quod medium est inter obitum Homeri & obitum Hesiodi intelligatur, quod incidit in annum Mundi 3121. Nam ab anno mundi 3054. quo obijt Homerus usq; ad annum 3121. sunt anni 67. & ab anno 3121. sunt totidem anni 67. ad primam Olympiadem, in cuius auspicijs Hesiodum obijsse diximus,anno mundi 3188. Ab anno vero mundi 3121.

præcisè sunt anni 400. usq; ad annum mundi 3522. qui est annus secundus Olympiadis 84. Ab urbe Condita 310. quo tempore Herodotus historiam suam Thurijs in Italia cõdidit, teste Plinio lib. 12. cap. 4.

Caput IX.

DE QVARTA OLYMPIADE.

AD quartam Olympiadem refert Eusebius, initium conditæ urbis Cyrenæ in Africa, & constituti ibidem regni Theræorum, auspice Batto Polymnesti filio, sed & hîc non paucioribus opinionibus variatum est inter autores, quàm de ætate Homeri: ut igitur in tanta varietate opinionum lector aliquid certi habeat, quod tutò sequatur, collegimus indefesso studio & maximo labore ex Herodoto sequentem seriem regum Cyrenæorum, qui ducentis continuis annis in illa Africæ parte regnarunt, & quorum tempora rectè cognita Græcorum atq; Aegyptiorum historiam non parum illustrant.

SERIES REGVM CYRENAEORVM A BATTO POLYMNESTI F. VSQVE AD ARCESILAVM VLTImum, excerpta ex Herodoti lib. 4.

Battus Polymnesti viri inter Theræos spectati filius, cum in virilẽ adolevisset ætatem, Delphos adijt ob linguæ vicium, quod esset sono vocis exili ac balbutenti: cui consulenti de vocis remedio Pythia respondit.

Batte uenis uocis causa, Dux te iubet ire
Lanigeram in Libyen habitatum Phœbus Apollo.

Etsi autem Battus propter inopiam consilij & auxilij profectionẽ in Africam semel atq; iterum declinabat, tamen tertiò à Pythia admonitus & fatis compulsus cum duabus triremibus Theræorum in Africam concessit, & locum nomine Aziristum incoluit sex annis, quem septimo anno admonitu Pœnorum deseruit, & in meliorem transivit, cui nomen fuit Irasa, ac deinceps urbem CYRENEN ad fontem Apollinis condidit, ubi cum filio Arcesilao à primo adventu suo in Africam regnavit annis 56. Advenit igitur Battus primum in Africam Anno Mundi 3244. añо quarto Olympiadis 14. Condidit Cyrenẽ Anno Mundi 3250. anno secundo Olympiadis 16. Quod autem Eusebius historiam Batti refert ad annum primum Olympiadis 4. id fortassis intelligendum erit de tempore, quo Battus primum oraculo Pythiæ admonitus fuit ut in Africam navigaret & Cyrenen conderet, nam cum tandem post tertiam deiniq; admonitionem Pythiæ in Africam proficisceretur, consentaneum est interea non parum temporis effluxisse.

Arcesilao successit Battus filius huius nominis secundus Anno Mundi 3300. qui condidit Zoan & regnavit annos 40. Batto II. successit

cessit filius Arcesilaus II, qui regnavit annis 16. Tot enim annis regnarunt quot Battus I & Arcesilaus I, qui in coloniam initio missi fuerant, nimirum annis 56.

Sub Tertio Batto, qui Felix est appellatus cunctos Græcos ad navigandum in Africam cum Cyrenæis habitatum induxit Pythia. Nam accersebant eos Cyrenæi ad agri portionem : Induxit autem hæc verba, respondens.

Serior in Libyen quisquis peruenerit almam,
Discernendi agit mox hunc affirmo pigebit.

Cum ergo ingens multitudo Cyrenen se contulisset, finitimorum Pœnorum agros vastabant, atque inter se partiebantur. At illi eorumque rex Adicran agris exuti à Cyrenæis, missis in Ægyptum quibusdam sese dediderunt Aprij Ægyptiorum regi. Iste comparatum grandẽ Ægyptiorum exercitum misit adversus Cyrenas. Cyrenæi instructa apud Irasa locum, & ad fontem Thestin acie cum Ægyptijs conflixerunt, eosque superaverunt, utpote inexpertos antea atque contemptores Græcorum: adeoque profligarunt ut pauci ex eis in Ægyptum redirent: qua de re Ægyptij succensentes Aprij ab eo desciverunt. De hac generali deductione Græcorum in Africam & Cyrenarum quasi nova instauratione, sive totius regni Cyrenaici memorabili incremento loquitur Solinus cap. 30. cum inquit, Cyrenas à Batto Lacedæmonio cõditas esse Olympiade 45, anno post captam Troiam 586. qui annus congruit cum anno ab V.C. 157. Nam quod Plinius lib. 19. cap. 3. annum ab V.C. 143. habet, erratũ est alicuius inepti castigatoris, qui cum numerum Plinianum CLIIIX non intelligeret, transposuit cyphras, & reddidit CLXIII. huic supervenit alius Corrector, qui ex CLXIII. reddidit CXLIII. Porro quod in nostra Chronologia hæc historia incidit in primum annum Olympiadis 46. non est contra Solinum, eò quod dimidium anni quo nova Olympias inchoatur ad veterem & præcedentem Olympiadem referri consuevit. Iam cum hic Battus cœperit regnare anno Mundi 3356. anno 4. Aprijs regis Ægypti, incidit hæc universalis Deductio Græcorum in Africam in annum 14. regni ipsius, regni vero Aprijs 17. Bellum autem cum Aprye rege Ægypti, & defectio Ægyptiorum ab eodem incidit in annum regni ipsius 22. qui fuit 25. & ultimus annus regni Apryis: quam diu præterea regnaverit hic Battus non exprimit Herodotus: sed tribuamus ei atque filio Accesilao III iuxta Pythiæ responsum duas hominum ætates, hoc est annos 50. demptis tamen duodecim annis quibus Battus I & II & Arcesilaus I & II supra quatuor ætates hominum regnarunt, ita ut hic Battus cum filio regnarit annis 38. & sit finis regni ipsorum 3393. annus mundi secundus vero Olympiadis 52. qui incidit in annũ 18 Amasis regis, quẽ Herodotus lib. 2. amicitiã societatemque cũ Cyrenæis inijsse, atque illinc Laodicen filiam Batti uxorẽ duxisse scribit. Hanc Laodicen Cambyses, postquã Ægypto potitus est, cognitã quę nã esset, Cyrenas illęsam remisit: videtur autẽ Laodice nõ huius sed Batti IIII filia fuisse, propter longitudinẽ intervalli, quod est à tẽpore hoc usque ad Cambysen, quã-

vis


vis nihil absurdi sequatur, si eam & huius filiam fuisse concesserimus, si enim Amasis rex Ægypti quinquaginta quinque annis regnando ferè attigit tempora Cambysis, potuit & Laodice eousque extendere annos ætatis suæ. Sub Arcesilao autem III. huius Batti filio interea temporis contigerunt ea quæ Herodotus de extructione urbis Barcę & de bello inter Cyrenæos & Pœnos gesto recenset.

Arcesilao à fratre Aliarcho strangulato successit in regno Battus IIII. qui cum pedibus non valeret Claudus dictus fuit, sub hoc Mantinæus Dæmonax iussu Pythiæ Cyrenen accitus in tres tribus totam coloniam distinxit, ita ut unam quidem partem faceret Theræorum atque confinium, alteram Peloponnensium, tertiam verò cunctorum Insulanorum. Si huic Batto quoque attribuas unam ætatem hominis, nimirum annos 25. erit finis regni ipsius annus Mundi 3418. annus 2. Olympiadis 58. annus ab V.C. 206. annus autem 42. Amasis regis Ægypti.

Batto IIII successit Arcesilaus IIII qui Cambysi Ægyptum subigenti Cyrenen tradidit & tributariam fecit: Hic orta seditione profugit in Samum, mater verò illius Pheretima in Salaminen Cypri, ubi cum ab Evelthone rege Salaminis exercitum peteret, quo cum filio Cyrenen iterum occupare posset, misit Evelthon denique ad eam dono fusum aureum atque colum penso circumdatam, eique dicere iussit. Talibus rebus donari fœminas, non exercitu. Etsi autem Arcesilaus ingenti exercitu coacto tandem rediit Cyrenen & imperium recuperavit, tamen quod in subditos contra oraculum Pythiæ nimium sæviret, paulò post apud Alazerim regem Barcæorum (quò propter metum necis oraculo prædictæ confugerat) à Cyrenæis exulibus obtruncatus est.

Si huic quoque attribuas unam ætatem hominis annos 25. incidit finis regni ipsius in annum Mundi 3444. qui est annus quartus Olympiadis 64. ab V.C. 232. & annus 3. Darii Hystaspis Persarum. Atque sub hoc Arcesilao regnum Cyrenaicum omnino à Græcis ad Persas translatum est, cum iuxta responsum Pythiæ quatuor Batti ac totidem Arcesilai octo hominum ętates, hoc est ducentis annis ibi regnassent. Etsi enim postea Pheretima mater huius Arcesilai Aryanden prætorem Ægypti sub Dario Hystaspis multis adhortationibus & precibus eò commovit ut ad ulciscendam necem filii Barcen caperet atque diriperet, tamen ipsa regnum Cyrenaicum non iterum recuperavit, sed ulta Barcæos in Ægyptum illico rediit, ubi vivens vermibus computruit, acerrimumque exemplum divinæ ultionis erga omnes vindictæ cupidos post se ad omnem posteritatem reliquit.

Caput



Caput X.

DE NONA OLYMPIADE.

ANNO secundo Olympiadis 9 (Polydoro & Theopompo regibus) Lacedæmonij Ampheam oppidum Messeniorum occuparunt, & eodem tempore quo Amphea capta est Æstinedes Æschyli filius quintum iam annum Athenis summæ Reipublicæ præerat, Pausanias lib. 4.

Hic annus tam diligenter annotatus à Pausania benè obseruandus est, nam inde seriem reliquorum regum Lacedęmoniorum qui post Alcamenem regnarunt, & apud Eusebiũ non extant, ordine deducere possumus, & ex hoc fundamento quoq; tempora Atheniensiũ regum atq; magistratuum cum Olympiadibus conciliantur.

Caput XI.

DE EPHORIS LACEDAEMONE POST ALCAMENEM REGEM INSTITVTIS.

ANNO primo Olympiadis 5. anno 17. post mortem Alcamenis scribit Eusebius Ephororum potestatem Lacedæmone institutam esse, cum hactenus sub regibus fuissent annis 340: Ad hunc annum Plutarchus à prima Reformatione Reipublicæ Lacedæmoniorum instituta à Lycurgo tempore Charilai (qui & nepos Lycurgi ex fratre & sub tutela eiusdem fuit) numerat annos 130. Ita ut Lycurgus Lacedæmonijs suas leges tulerit circa annum Mundi 3074. regnante ex altera familia Archelao Agesilai filio. Pausanias Lycurgum sub Agesilao patre Archelai leges sanxisse scribit, sed hoc exiguum interuallum, nimirũ à morte Agesilai usq; ad annum 22. regni filij eiusdem (qui congruit cum anno mundi 3074) non est tanti, ut ideo temporum harmonia ad numeros Eusebij & Plutarchi tam aptè quadrans temere conuellatur.

Cæterum quod Eusebius existimat Lacedæmonios post institutã hanc Ephororum potestatem non amplius sub regibus fuisse, id non est: nam Pausanias longè ulterius reges Lacedæmoniorum post Alcamenẽ continuat, et ad quindecim generationes extendit: postremum recensens Cleomenem Leonidæ filium, qui capta ab Antigono patria in Ægyptũ fugit, ubi tandem occisus est à Ptolemæo Philopatro circa annum mundi 3744. & Diodorus Siculus à Leotychide Mænaris filio ex altera fa-

milia Euryphontidarum ordine reges Lacedæmoniorum & tempora eorum annotat usq; ad Alexandrum Magnum. Ephororum autem potestas instituta est sub Polydoro Alcamenis filio & Theopompo filio Nicandri, non ad tollendum regium imperium, ut Eusebius existimat, sed ut esset quasi munimentum medium inter reges & populum, ne Respublica nunc apud reges in tyrannidem, nunc apud populum in Democratiam aut Oligarchiam declinaret, sicut eandem ob causam Lycurgus suo tempore regibus Lacedæmoniorum Synedrion 28. seniorum addiderat, ut ostendit Plutarchus ex Platone.

Caput XII.

OBiter hic observãdus est lapsus Iohannis Funccij Chronologi aliàs diligentissimi, qui scribit Philopœmenem Achæorum Ducem Lycurgi leges abrogasse anno mundi 3775. annis quingentis postquam primum latæ fuissent, idq; autoritate Plutarchi stabilire nititur. Sed primum sciendum est illum numerum quingentorum annorum in Philopæmene Plutarchi non extare, Et ab anno mundi 3074. circa quem Lycurgus Lacedæmonijs leges tulit usq; ad prædictum tempus Philopœmenis elapsi sunt anni circiter 700. Deinde etiamsi cum Funccio promulgationem legum Lycurgicarum referas ad annum Mundi 3180. tamen usq; ad Philopæmenem leges Lycurgi abrogantem non quadrat tempus illud quingentorum annorum, sed ad sexcentos annos excrescit: ut taceam quod hic calculus Funccij nec cum Plutarcho, nec cum Eusebio, aut alijs veteribus ac neotericis Chronologis conveniat. Sed hic lapsus ex sola eademq; accuratiore distinctione temporum facilè restitui potest.

Plutarchus in Lycurgo ait, sub Agide Archidami filio rege & Lysandro Duce Lacedæmoniorum primum leges Lycurgi pecunia corruptas & convulsas fuisse, quibus antea Sparta urbs disciplina publica & gloria principatum Græciæ spacio quingentorum annorum tenuerit: regnavit autem Agis (cuius contemporaneus fuit Lysander) tempore belli Peloponnesiaci, quod finitum est circa annũ mundi 3560. Ad hoc igitur tempus numerandi sunt quingenti illi anni, ac nihil refert etiamsi pauci aliquot anni à summa deficiant, nam Plutarchus pleno & rotundo numero centenario utitur, in quo paucorum aliquot annorum nulla ratio habetur, quin & Agis & Lysander etiam aliquot annis post bellũ Peloponnesiacum supervixerunt, & corruptio legum non ad certum & fixum annum referri potest, quippe quæ successivè tandem tempore Agidis & Lysandri per pecuniam irrepsit.

De Philopœmene autem Plutarchus scribit. Eum insecutis temporibus

poribus odio Lacedæmoniorum Lycurgi disciplinam planè solvisse, & pueros atq; adultos eorũ compulisse patriam disciplinã cum Achaica mutare, quod viderentur ex Lycurgi Legibus nunquam moderatos spiritus gesturi. Hæc historia contigit 700. annis à prima promulgatione legum Lycurgi, nec est cum priori tempore confundenda.

Sed utrunq; locum ex Plutarcho integrum apponam, ut clarius elucescat, ea quæ de Legibus Lycurgi & magistratu Ephororum diximus planè convenire cum vera temporum harmonia.

PLVTARCHVS IN LYCVRGO.

Sparta civitas disciplina publica & gloria principatum Græciæ tenuit quingentorum annorum spacio, utendo Lycurgi legibus, quas ex quatuordecim regibus (qui eum sunt usq; ad Agim Archidami filium insecuti) nemo movit: Nam Ephororum Creatio non remissio legum, sed contentio sive stabilitio fuit, quę quanquã popularis appareret, optimatium vim amplificavit tamen. Agide regnante primum pecunia influxit in Spartam, comesq; pecuniæ habendæ cupido, & divitiarum admiratio invasit per Alexandum vel potius Lysandrum, qui invictus ipse à pecunia patriam implevit opulentiæ cupiditate & luxu, deportatoq; ex præda auro & argento Lycurgi convulsit leges.

IDEM IN PHILOPOEMENE.

Insecutis temporibus Philopœmenes, ut magis indulgeret suo in Lacedęmonios odio et indignè afflictis insultaret, immanissimũ factum & iniquissimũ circa instituta illius civitatis, scilicet Spartæ molitus est, siquidem Lycurgi institutionem sive disciplinam solvit & pervertit, compulitq; pueros & adultos quasi ex Lycurgi legibus nunquam moderatos spiritus gesturi essent patriã cum Achaica mutare disciplinam. Qui cum id temporis calamitatum mole Philopœmeni quasi nervos civitatis præbuissent incidendos, subacti, cicurati & fracti fuerunt. Cæterum aliquanto post beneficio populi Romani relictis institutis Achaicis, pristina sua institua, quoad eius fieri à tantis miserijs & cladibus poterat, reduxerunt atq; stabiliverunt;

SCHOLION.

Seriem quatuordecim regum Lacedæmoniorum à Lycurgo usq; ad Agim ex Herodoto petere licet, sive eos per lineam Agidarum sive Euryphontidarum deducere velis vide lib. 7. & 8.

Sed nunc ostendemus seriem reliquorum regum, qui Lacedæmone post Alcamenem regnarunt usq; ad Alexandrum Magnum.

Caput XIII.

SERIES REGVM LACEDAEMONIORVM A POLYDORO ALCAMENIS FILIO VSQVE AD tempora Alexandri Magni.

SVcceſſit igitur Alcameni filius Polydorus anno primo Olympiadis primæ,& regnavit annis 53. uſq; ad finem primi belli Meſſenici vicennalis: valde quidem hîc intricata ſunt tempora, ut Pauſanias ipſemet dubitet, quem potius ſequatur Rhianum an Myronem, qui ambo tum de rebus geſtis inter Lacedæmonios & Meſſenios ſcripſerunt: hoc tam ſeries ẽ temporum oſtendit, primam irruptionem Lacedæmoniorũ in Meſſenios (qua Amphram occuparunt) non ſub Alcamene, ſed ſub Polydoro filio ipſius ac Theopompo rege ex altera familia factam fuiſſe. Polydoro ſucceſſit Eurycrates, ſub quo Meſſenij annis 38 Lacedæmonijs æquo animo paruerunt. Anno triceſimo nono Meſſenij autore Ariſtomene Lacedæmonijs iterum rebellarunt, à quo tempore uſq; ad Iram captam elapſi ſunt anni 18. regnante tum Lacedæmone Anaxandro Eurycratis filio. Eſt autem Ira capta anno primo Olympiadis 28. anno 18 Anaxandri, anno mundi 3297.

Poſt Iram captam & finem belli ſecundi Meſſenici qua ſerie annorum deinceps regnarint Anaxandet, Eurycratides, & Leon uſq; ad Crœſum regem Lydorum incertum eſt, & vix ab aliquo indagari poterit: Quia tamen hoc Intervallum complectitur annos 106. diſtribui hanc ſummam in tres æquales partes, quarum quælibet continet annos 35. & præterea de tota ſumma reſiduus manet unus annus, ac Anaxandro addidi ad priorem ſummam annorum 18. annos 35. ut in univerſum regnarit annis 53. Eurycratides vero 35. & Leon 36. nimirum totidem annis quot Eurycratides, & præterea unum adhuc annum, qui de ſumma reſiduus manſerat. Sub Eurycratide autem & Leonte Lacedæmonij à Tegeatibus complures clades acceperunt. Sub Crœſo floruerunt Anaxandrides & ex altera familia Ariſto, teſte Herodoto lib. 1.

Anaxandrides regnavit annis 45. Cleomenes 25. Leotychides Mænaris filius pulſo Demareto 22. Archidamus filius Zeuxidami 42. Agis Archidami F. 27. Ageſilaus frater Agidis 39. Archidamus Ageſilai F. 23. Agis iunior Archidami iunioris F. 9. Eudamidas 5. uſq; ad obitum Alexandri Magni.

SCHOLION.

Ab Ira capta, anno primo Olympiadis 28. quo anno Meſſenios fata ſua extra Peloponneſum eiecerunt, uſq; ad reditum eorum in Peloponneſum, auſpice Epaminonda Thebano, anno tertio Olympiadis 102. ſunt anni 298. Quod igitur apud Pauſaniam lib. 4. tantum 287. anni extant, error ille undecim annorum non eſt autoris ſed Calcographi.

Porro

Porro quod Pausanias addit Anaxilaum Rhegij Tyrannum Ithome expugnata Messenios in Italiam accersivisse contra Zanclæos, cum quibus illi perpetuum bellum fuit, accuratè hîc distinguenda sunt tempora. Non enim loquitur Pausanias de prima expugnatione Ithomes, cum qua finitum est primum bellum Messenicum vicennale anno primo Olympiadis 14. anno Mundi 3241. nam ab eo tempore usque ad Gelonem Gelæ in Sicilia Tyrannum (cui Anaxilaus contemporaneus fuit teste Herodoato lib. 7.) elapsi sunt anni 232. ut impossibile sit Anaxilaũ tanto tempore aut regnasse aut vixisse: Sed sciendum est. Quotcunque Messeniorum in secundo to bello Messenico ad Irã captã, aut quocunque alio loco relicti fuerant, eos à Lacedæmonijs in publicorum servitiorum numerum conscriptos & Ilotas, hoc est mancipia appellatos fuisse. Illi Ilotes longissimo tempore post, nimirum ætate Cimonis Ducis Atheniensium à Lacedæmonijs iterũ defecerunt, & Ithomen denuo occuparunt. Intra Ithomen autem obsessi decimo demum anno, cum iam impares essent oppugnantibus, acceperunt à Lacedæmonijs oblatam conditionem, ut ex Peloponneso fide publica excederent & nunquam ulterius eò regrederentur, si quis deprehenderetur, servus fieret capientis. De hac igitur posteriore expugnatione Ithomes prædictus locus Pausaniæ est intelligendus, sicut & paulo post se ipsum declarat, ubi mentionem facit aliquorum bellorum, quæ Messenij etiam post hanc expugnationem Ithomes adhuc in Peloponneso contra Acarnanas gesserunt, & quomodo sub finem belli Peloponnesiaci victis Atheniensibus ad Ægos flumẽ à Lacedæmonijs Naupacto eiecti atque profugi, partim in Siciliam, partim Rhegium se ad suos propinquos cõtulerint. Ac negandum quidem non est tempore primæ expugnationis Ithomes et circiter multos Messenios in Siciliam & Rhegium cõcessisse, eosque hic nominari Ilotarũ propinquos, sed id tempus cum ætate Anaxilai non est confundendum. Ac si præterea tempus secundæ Expugnationis Ithomes quoque non tã pręcisè ad annos Anaxilai referri posse videatur, non est mirum, cum neque ex Pausania neque ex Thucydide certum initium & finis regni Anaxilai haberi possit, & ea quæ Diodorus Siculus per totum librum undecimũ tractat (inter quæ & res gestæ Anaxilai continentur) exacta temporum ratione careant, vide Pausan. lib. 3. & 4. Thucydi. lib. 2. Diodor. Sicul. lib. 11.

Postremo quod Pausanias ait Aristomenem Messeniorum Ducẽ aliquantò post Iram captam profectionem instituisse ad Ardyn Lydorum regem Gygæ filium & Ecbatana in Medos ad Aphraortem regẽ, quã tamen morte præventus nõ absolvit, id egregiè quoque convenit cum harmonia temporum nostræ Chronologiæ: Nam Ira capta est anno 12 Ardys Lydorũ regis, & novennio post Phraortes (Pausanias Aphraortem vocat) in Media regnare cœpit regnante quoque tum ex altera linea Arbiane.

Caput XIIII.

QVOMODO TEMPORA ATHENIENSIVM REGVM ATQVE MAGISTRATVVM cum Olympiadibus concilientur.

VErum enimvero ut eò redeam quod in fine capitis decimi monere institui, nimirum quomodo tempora Atheniensium Regum & Magistratuum cum Olympiadibus concilientur. Id hac ratione fieri potest, si annus quintus Æsimedis cum anno secundo Olympiadis nonæ connectatur: cum autem Eusebius annum primum Æsimedis & annum primum nonæ Olympiadis connectat, necessariò numeri ipsius in temporibus Atheniensium Regum & Magistratuum ad unam Olympiadem in anteriora sunt promovendi.

SCHOLION.

Olympiade 28. qua Iram captam esse diximus, scribit Eusebius Archilochum, Simonidem & Aristoxenem musicum illustres fuisse. Id de Simonide Melico intelligendum erit, de quo Plinius lib. 2. capit. 24. & 56. mentionem facit, ac priore loco eum artem Memorativam invenisse, posteriore octavam chordam Cytharæ addidisse scribit. Simonides vero Cæus vixit tempore Themistoclis & Hieronis regis Siciliæ, Plutarchus in Themistocle, Athenæus lib. 14, cap. 28.

Caput XV.

DE OLYMPIADE DECIMA QVINTA ET DECIMA SEXTA.

ANno quarto Olympiadis 15. sive instante Olympiade 16. Gyges Dascyli filius occiso Candaule factus est rex Lydorū: Suidas. Nam à Crœso capto usq; ad initium Gygis & interfectum Candaulem postremum ex Heraclidis Lydorum regem Herodotus in anteriora numerat annos 170. Est autem Crœsus postremus rex Lydorum, à Cyro Persa captus Olympiade 58. Solin. cap. 7. Integram historiam Crœsi lege apud Herodotum lib. 1. & Plutarchum in Solone.

Porrò ab Ardiso primo rege Lydorum usq; ad captū Cæsum sunt anni 249. quod est tempus periodicum multorū imperiorum. Paucis annis ante captū Crœsum circiter Olympiadem 57 contigit historia Arionis Methymnæi Cytharœdi clarissimi mirabiliter à Delphinis cōtra sanguinaria consilia quorundam pyratarum seruati, quam Herodot. lib. 1. Gellius lib. 6. cap. 19. & Plutarchus in convivio septem sapientum Græ-

ciæ recenset , eodem enim tempore idipsum convivium septem sapientum à Periandro Corinthio celebratum fuit. Plutarchus ibidem.

Non possum hic candidum lectorem obiter non admonere , iam tum ætate Plutarchi historias horum temporum ita fuisse confusas, ut multi negarint Solonis & Crœsi congressum & septem sapientum convivium, atq; alia huius argumenti cū harmonia Chronologica congruere, quæ tamen nunc Dei beneficio & aliorum atq; nostra (absit dicto arrogantia) quoq; opera tam apto ordine invicem cohærent, ut vix aptiori serie ver hyemem consequatur, sicut est in proverbio. Vide Plutarchum in Solone, & rem ita se habere experieris.

Circa hæc eadem tempora, nimirum anno secundo Olympiadis 16. Battus filius Polymnesti ex Insula Thera oriundus urbem CYRENEN in Libya iuxta fontem Appollinis condidit, cum antea sex annis à primo adventu in Libyam locum Aziryſtum incoluisset. Quomodo autem postea Regnum Cyrenaicum ducentis annis sub quatuor Battis & totidem Arcesilais sibi ordine invicem succedentibus usq; ad tempora Darij Hystaspis duraverit, ostendimus supra cap. 9.

Proximo anno post, nimirum, anno tertio Olympiadis 16. cœpit regnare apud Romanos Numa Pompilius, anno ætatis suæ quadragesimo. Dionysius lib. 2. Plutarchus in Num. Pompil. Hic locus præclarū testimonium veritati Chronologiæ nostræ perhibet. Nam primum ostendit verum tempus quo Roma condi cœpta est nempe in fine anni tertij & initio anni quarti Olympiadis sextæ. Ab hoc enim tempore usq; ad annum tertium Olympiadis 16. sunt anni 40. & eodem tempore quo Romulus Romam condere cœpit scribit Plutarchus Numam Pompilium natum esse.

Deinde idem locus monet quomodo is annus, quo Roma condi cœpit, ab illo anno quo iam conditæ urbis formā exhibuit & Romulus regnum suū auspicatus est, accuratè sit distinguendus. Nam Romulus cœpit regnare anno primo Olympiadis septimæ, & ab hoc anno numerat Dionysius Halicarnassæus annos ab urbe Roma iam condita. Intervallum igitur temporis quo Roma condi cœpit, & quo cœpit regnare Romulus est unius anni & mensium duorū plus minus, quod ex serie regni eiusdem patet. Nam utriq; Plutarchus & Dionysius Romulū 37. annis tantū regnasse scribunt. Hinc necesse est, ut his 37. annis interregnū anni unius, quod inter Romulū & Numam Pompiliū intercessit, & prꝫterea illum annū ac duos menses, quibus Roma ante regnū Romuli exædificata est, adijcias, si quadraginta annos ab eo tempore quo Roma condi cœpit usq; ad Numā Pompilium colligere velis. A condita autē iam Roma & initio regni Romuli non plures quā 39. annos usq; ad Numā habebis.

Tertiò, quod igitur multi præstantissimi Chronologi tam ex veteribus quā ex recentibus, à capta Troia usq; ad Romā conditam nō præcisè 430. annos sed 432. annos, alij etiam plus alij minus, numerant, id nostræ Chronologiæ nihil derogat, sed prædictum intervallū temporis ab ipsis aut non observatum aut neglectum esse demonstrat.

Quartò,

Quartò, cum deniq; in nostra Chronologia anni Olympiadum & anni ab urbe condita in serie reliquorum regum Romanorum post Numam Pompilium cum numeris Dionysij præclare quoq; congruant, potest & hinc candidus lector certior esse reliqua quoq; & consequentia, tã ex Græca quàm ex Romana historia recto ordine à nobis & his quos secuti sumus annotata esse.

Caput XVI.

DE OLYMPIADE QVADRAGESIMA OCTAVA.

PRudens hic omitto intermedias aliquot Olympiades, quibus tanquam pluribus columnis appositis ædificium huius Chronologiæ firmius inniti posse videbatur: cum enim nonnullas earum in serie Romanorum regum annotarim, nolui in re manifesta diutius immorari, aut repetitione earundem obtundere candidum lectorem. Sed hanc quadragesimam octavam Olympiadem ne præterirem locus Plinij me admonuit lib. 2. cap. 12. ubi inquit.

Apud Græcos rationem defectus Solis & Lunæ investigavit primus omnium Thales Milesius, Olympiadis 48. anno quarto prædicto Solis defectu, qui Alyatte rege factus est urbis conditæ anno 170. Hæc probè conveniunt cum nostra Chronologia, quod ad seriem Olympiadum & annos ab urbe condita & tempus Halyattis regis Lydorum attinet: sed quod Herodotus lib. 1. huius Eclypsis tempore Cyaxarem regẽ Medorum cum Halyatte Lydo pugnasse scribit, id non est verisimile, cũ Cyaxares tum temporis non amplius fuerit in vivis, aut certè desierit regnare: nisi fortassis rem ita conciliare voluerimus, ut concedamus Cyaxarem adhuc aliquot annis cum filio Astyage regnasse, cuius tempore hæc Eclypsis contigit. Nam annus urbis conditæ 170. qui finit annum quartum Olympiadis 48. & inchoat sequentem Olympiadem 49. congruit cum anno 13. Astyagis regis Medorum. Rectius igitur in quibusdam exemplaribus Plinij hanc Eclypsim nõ sub Cyaxare, sed sub Astyage filio ipsius contigisse scribitur.

Et consentaneum est insecutis temporibus Halyattem Lydorum regem tam cum Astyage, quàm prius cum Cyaxare ipsius patre bellum gessisse, sive ante contractam affinitatem propter vetus odium inter Lydos & Medos, sive post contractam affinitatem, cum propter contumeliam Arienæ filiæ illatam, vel propter expositionem Cyri pronepotis ex eadem filia Ariena quam Astyagi desponderat. Nam & Solinus alterius cuiusdam belli meminit inter Halyattem & Astyagem, quod finitũ esse scribit anno 604 post Ilium captum, hoc est circa annum mundi

3387.

3387. anno Halyattis 41. Astyagis vero 19. Olympiade 50. Solin. cap. 20.

Porro Cyaxarem regem Medorum una cum Scythis quadraginta annis Asiæ imperasse Herodotus scribit, atq; idem tempus annotavimus in Chronologia: primum quidem regnavit annis 12. usq; ad obsidionem Nini urbis, quo tempore Scytharum numerosus exercitus in Mediã penetravit, & Asię imperium arripuit, reliquos viginti octo regnavit unà cum Scythis.

Caput XVII.

DE SEQVENTIBVS ALIQVOT OLYMPIADIBVS, IN QVAS INCIDIT AETAS SOLONIS ET Tyrannis Pisistratidarum in urbe Atheniensium.

DE tempore quo Pisistratidæ Athenis regnaverunt magna est diversitas opinionum apud Chronographos, cum res per se sit manifesta & plana, & tota pendeat ab anno 31. Darij Hystaspis regis Persarũ, quo Persæ consilio Miltiadis in Campo Marathonio ab Atheniensibus memorabili pugna cæsi sunt instante Olympiade 72. Nam Herodotus & Thucydides expressè scribunt Hippiam Pisistrati filium vicesimo anno ante pugnam Marathoniam Athenis pulsum esse, cum frater ipsius Hipparchus ab Aristogitone & Armodio (cuius pudicitiæ insidias struxerat) tribus annis ante interfectus fuisset. Expulsio igitur Hippiæ incidit in annum primum Olympiadis 67. Regnarunt autem Pisistratidæ Athenis annis 36. nimirum ab eo tempore quo cum patre ex Eretria Athenas redierunt et tyrannidem occuparunt, anno undecimo à fuga patris in Eretriã, licet Thucydides Hipparchum nunquam ad gubernacula regni pervenisse, sed tantum privatã quasi vitam, tàm cum patre quàm cum fratre egisse scribat. Hic reditus ipsorum incidit in annum primum Olympiadis 58. fuga verò patris incidit in annum tertium Olympiadis 55. Quamdiu autem Pisistratus ante fugam in Eretriam Athenis regnaverit discrepant autores. Herodotus lib. 1. initium regni Crœsi in Lydia cũ eo tempore confert, quo Pisistratus Athenis tyrannidem arripuit. Incidit autem initium regni Crœsi in annum quartum Olympiadis 54. Sed Eusebius multò altius tyrannidem Pisistrati inchoat, qui eum primum Athenis pulsum & in Italiam fugisse scribit anno 48 Halyattis regis Lydorum, hoc est decennio ante initium regni Crœsi, anno secundo Olympiadis 52. Hoc certum est ex Herodoto Pisistratum bis pulsum esse Athenis. Primum à militibus Megaclis & Lycurgi, cum astu ab Atheniensibus satellitium impetrasset, cuius ope arcẽ

arcem occupavit: Nam etsi Athenienses contra acerrimas dissuasiones Solonis imprudenter Pisistrato & satellitium adiungerent & colla iugo ipsius submitterent, tamen eo tempore tyrannidem suam non admodum stabilire potuit, quod Megacles campestrium copiarum Dux & Lycurgus classis præfectus eandem tyrannidem affectarent, eumq; virtute militum suorum eijcerent. De hoc tempore intelligo fugam Pisistrati in Italiam secundum Eusebium. Cæterũ cum Megacles & Lycurgus quoq; inter se ipsos seditionem excitassent, ibi Megacles rerum suarum satagens Pisistratum misso caduceatore & oblata in uxorem filia Athenas revocat & in pristinam tyrannidem restituit. De hoc tempore videtur loqui Herodotus dum confert initium regni Crœsi cum eo tempore quo Pisistratus Athenis tyrannus esse cœpit: Atq; circa hoc tempus Solon ægerrimè ferens ac detestans socordiam Atheniensium, quod spreto suo consilio tam facilè Pisistratum reciperent, depositis ante curiam armis discessit Athenis & in Ægyptum navigavit, atq; inde in Cyprum profectus postremò ad Crœsum quoq; pervenit.

Porrò cum nollet Pisistratus ex filia Megaclis generare liberos, sed Hipparcho & Hippiæ nobilissimis adolescentibus filijs suis ex priori coniugio natis tyrannidem relinquere præsumeret, Megacles iniquo animo ferens se à Pisistrato contumelia affici milites ei infensos reddidit, quę fieri Pisistratus contra se animadvertens regione prorsus abscessit, et se in Eretriam contulit, unde undecimo anno vertente redijt, & tertiò occupatam tyrannidem Athenis filijs suis reliquit, à quo tempore Pisistratidarum, hoc est Pisistrati filiorum regnum annis 36 duravit, ut antea est commemoratum.

Caput XVIII.

EX hac annotatione temporũ multum lucis accedit ad lectionem Plutarchi in vita Solonis: Nam primum stabilitur colloquium Solonis cum Crœso, quod Plutarchus quosdam in dubium traxisse ait propter annalium discrepantiam, sed falsò, cum in ipsa serie temporum, si rectè digerantur, nulla sit discrepantia: cum enim Pisistratus circa initium regni Crœsi à Megacle restitutus sit, & Solon eodem tempore Athenis discesserit, certè profectio ipsius aptissima serie cum annis Cræsi cõgruit, ideoq; non dubiũ est Solonem Sardibus cum Crœso congressum, & ea collocutum fuisse, de quibus Herodotus prolixè scribit lib. 1.

Deinde conciliantur quoq; diversæ sententiæ Heraclidis Pontici & Phaniæ Ephesij de tempore obitus Solonis. Nam ille prodidit Solonem multum temporis post initium Pisistrati tyrannidis vixisse, quod verum est, sive de illo initio intelligas, quo Pisistratus astu arcem Atheniensem occupavit, sive quo à Megacle Athenas reductus secundò tyrannidem ibide magere cœpit. Hic autem scripsit Solonem tantum duobus annis post initium Pisistrati tyrannidis vixisse, quod quoq; verum

verum est, si hoc initium sumatur ab undecimo anno vertente, quo Pisistratus ex Eretria reversus tertiò tyrannidem Athenis occupavit, eamque filijs suis reliquit.

Plura vide in nostra Chronologia, ubi ex diligenti inspectione Diogenis Laertij, Auli Gellij, Herodoti, Thucydidis & Plutarchi annotavimus natalem, præfecturam, legum promulgationem, profectionem & obitum Solonis, ita ut cum harmonia temporum satis aptè consentire videatur.

Caput XIX.

DE OLYMPIADE QVINQVAGESIMA QVINTA.

HÆc Olympias ostendit veram seriem regum Medorum, qui duplici linea ab Arbace descenderunt, & ad Cyrũ Persam usque regnarunt, de quibus dictum est lib. 2. cap. 6.

Ostendit item veram seriem regum Lydorum usque ad Crœsum, qui Olympiade 58. à Cyro Persa captus est, teste Solino cap. 7.

Præterea ex annis Cyri rectè distinctis, nimirum quando primum cœperit regnare in Persia & quo tempore tandem Monarchia Babylonica potitus sit, haberi potest verum tempus finitæ captivitatis Babylonicæ.

Incidit autem initium regni Cyri in Persia postquam Astyagen Medum devicisset in initium Olympiadis 55. sicut Eusebius lib. 10. de præparatione Evangelica multis testibus probat, cũ inquit Cyrus regnavit Olympiade 55. ut è Diodori, Thali, Castoris, Polybij, Phlegetontisque historijs patet: quin & hæc eadem verba Eusebius ex celeberrimo historico Africano huc transscripsit.

Proximo anno postquam Cyrus in Persia cœpit regnare, inchoatur quoque regnũ Crœsi in Lydia, nimirum anno Mundi 3404. Sed initiũ Monarchiæ Cyri incidit in annum tertium Olympiadis 61. cum anno prçcedẽte septuagenaria Captivitas Iudæorũ in Babylone ad finẽ suũ cucurrisset. De hac re prolixius dictũ est supra lib. 2. à capite 15. usque ad 20.

SCHOLION.

Africanus apud Eusebium loco supra citato à Cyro usque ad Ogygẽ Atticum, sub quo in Attica magnum Diluvium fuit temporibus Phoronæi regis Argivorũ annos 1237 in anteriora numerat hoc modo. Ab Ogyge Attico ad primã Olympiadem fuerũt mille & viginti anni, à qua usque ad Olympiadẽ 55. id est usque ad primũ annum Cyri regis Persarũ & populi Iudaici reductionem fuerunt anni 217. Quare ab Ogyge Attico ad Cyrum 1237 anni fuerunt, quos si auferes ascendendo ad illum annũ pervenies, quo ab Ægypto Moses populum eduxit: Fuit igitur Moses Ogygis Attici temporibus. Hactenus Africanus.

Sed hic locus singulari discretione examinandus est, si eum cum vera serie temporum conciliare volueris.

Primum enim distinguendum erit inter initium Ogygis quo in Attica regnare cœpit, & inter tempus Diluvij quod in regnum ipsius incidit. Nam ut ab Ogyge usq; ad Cyrum numerus annorum 1237 constet, necesse est ut Ogyges cœperit regnare anno mundi 2169. anno 31 Armatritis IX regis Assyriorum: Diluvium vero sub eodem accidit anno 34 Belochi X regis Assyriorum teste Beroso anno Mundi 2210.

Secundò. Si igitur numeres annos ab initio Ogygis usq; ad Exitū filiorum Israel ex Ægypto (qui incidit in annum mundi 2453.) erit intervallum temporis annorum 284. si vero à Diluvio, remanet intervallum annorum 243. Vix itaq; possibile est Ogygen Mosi coætaneum fuisse, Diluvium certè eiusdem cum Exitu filiorum ex Ægypto nequaquam coaptari potest. Ideoq; alij Chronologi tempora Ogygis Attici & Phoronæi regis Argivorum cum tempore Patriarchæ Iacob rectiori filo deducunt.

Tertio, Nec primo anno regni Cyri in Persia, sed primo anno Monarchiæ eiusdem concessus est populo Iudaico Reditus ex captivitate Babylonica: quando autem deniq; redierint eò diximus lib. 2. cap. 22.

Quartò, Tenuiora fortasse hæc sunt, quam ut eorum candidus lector admoneatur, nec tamen oscitanter prætereunda, nimirum in tota summa Africani abundare unum annum, nam quinquaginta quatuor Olympiades ad Cyrum usq; elapsæ tantum 216. annos constituunt. Et Ogygen tam crebro hic nominari Atticū ad discrimē Ogygis Prisci, qui est Nohe, quod demonstravimus supra lib. 2. cap. 2. Nam qui huius Ogygis Diluvium cum diluvio Nohe commiscere volunt, hos certum est longissimè toto cœlo errare, quemadmodum illi etiam errant qui diluvium Deucalionis ad tempora Nohæ referre volunt.

Caput XX.

DE SEXAGESIMA TERTIA OLYMPIADE.

HÆC Olympias quoq; præclarum testimonium veritatis nostræ Chronologiæ exhibet. Nam ut Diodorus lib. 2. scribit Cambysem regem Persarum circa tertium annum huius Olympiadis Ægyptum subegisse, & ab hoc tempore Persas obtinuisse Ægyptum annis 135. usq; ad Alexandrum magnum. Ita idipsum oculariter in Chronologia nostra demonstratur.

Sunt enim à quinto anno Cambysis (cum quo tertius annus Olympiadis 63. congruit) usq; ad Amartheum Saiten, sub quo Ægyptus à

Persis

Perſis defecit tempore Darij Nothi, anni 115. & deinceps proprios ſuos reges habuit, donec tandem anno 18 Darij Artaxerxis Ochi iterum ſub iugum Perſicum redijt, qui ibidem conſtituit præfectum Pherendatem: Et ab hoc anno 18 Ochi uſq; ad Alexandrũ Magnum reſtant anni 20. ferè, qui additi ſuperioribus annis 115. conſtituunt annos 135. Ab hoc igitur tempore quoq; certa ſeries Monarchiæ Perſicæ demonſtratur, quod monuimus ſupra lib. 2. cap. 20.

Hinc etiam apparet nos Amaſi regi Ægyptio rectè anno 55. Pſammenito autem 6. attribuiſſe, non tantum ob id quod & Herodotus totidem annos huic & Diodorus totidem illi attribuerunt, ſed quia idem harmonia horum temporum neceſſariò requirebat.

Caput XXI.

DE SEXAGESIMA QVINTA OLYMPIADE.

A prima Olympiade uſq; ad hanc ſexageſimam quintam & ad ſecundum annum Darij Hyſtaſpis ſupputat Euſebius annos 256. & ulterius ab hoc tempore uſq; ad 15. annum Tiberij Imperatoris annos 548 deducit, ut dictum eſt ſupra cap. 7. Et ſecundi anni Darij Hiſtaſpis fit quoq; mentio lib. 2. cap. 16.

Hac Olympiade finitum quoq; eſt regnum Cyrenæorum in Libya, quod à quatuor Battis & totidem Arceſilais ducentis annis gubernatum fuit. Vide ſupra cap. 9.

Caput. XXII.

DE SEXAGESIMA OCTAVA OLYMPIADE.

AD quartum annum huius 68 Olympiadis refertur initium regni Cleandri in Sicilia, & ab eodem tempore deinceps reges Siculi qui Syracuſis dominati ſunt certa ſerie uſq; ad Agathoclem & tempora Alexandri Magni deducuntur. Libet autem rem altius repetere, ut candidus Lector perſpiciat quos autores hic ſim ſecutus, atq; ita de ſerie horum temporum nihil ambigere poſſit.

LIBER III.

SERIES REGVM SIVE TYRANNORVM SYRACVSANORVM IN SICILIA, A CLEANDRO PATAræo usq; ad Agathoclem, Ex optimis quibusq; autoribus excerpta.

SICILIÆ primò Trinacriæ nomen fuit, præterra Sicania denominata est. Hæc à principio patria Cyclopum fuit, quibus extinctis Æolus regnum Insulæ occupavit, post quem singulæ civitates in Tyrannorum imperium concesserunt, quorũ nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iusticia cum cæterorum crudelitate certabat, cuius moderatio hand mediocrem fructum tulit: Quippe decedens cum filios parvulos reliquisset, tutelamq; eorũ Micytho spectatæ fidei servo commisisset, tantus amor memoriæ eius apud omnes fuit, ut parere servo, quam deserere regis filios mallent, principesq; civitatis obliti dignitatis suæ regni maiestatem administrari per servum paterentur. Hæc Iustinus lib.4.

Huius autem Anaxilai meminit Herodotus lib.7. & Rheginorum Tyrannum fuisse scribit, eodem tempore, quo Terillus egit Tyrannum Himeræ, Theron Agriganti Gelon Syracusis. Inde intelligi potest quomodo Siculorum regum tempora congruant cum Persica Monarchia.

Gelonem Syracusis rerum potitum esse scribit Pausanias anno 2 Olympiadis 72. qui est annus 33 Darij Hystaspis. Ante Gelonem regnavit annis 7 Hippocrates Gelæ Tyrannus, & ante hunc quoq; annis 7. Cleander Patareus autore Herodoto. Cœpit igitur Cleander Pataræus regnare anno 19. Darij Hystaspis, anno 4. Olympiadis 68. ut supradictum est. Porro Gelon regnavit annis 12. secundum Pausaniã, licet Diodorus tantum annis 7. regnasse scribat, nec enim plures annos illi attribuere poterat, cum initium regni eius ad annum 3. Olympiadis 73 collocasset: Geloni successit Hieron annis 11. mensibus 8. Ad hunc aliquot Odę Pindari extant, Hieroni Thrasybulus annum 1. Sub Thrasybulo Syracusij se in libertatem vendicarunt, in qua annis ferè 60. fuerunt usq; ad Dionysium seniorem Tyrannum. Dionysius senior cœpit regnare Anno secundo Olympiadis 93. ac regnavit annis 38. Dionysius iunior usq; ad Dionem annis 12. A Dione varijs motibus agitata est Sicilia usq; ad Timoleontem annis 12. A Timoleonte libertati restituta floruit annis 22. usq; ad obitum Alexandri Magni, donec ab Agathocle rursus sub iugum Tyrannicum redire coacta fuit.

SCHOLION.

Plutarchus ab amissa libertate Syracusiorum sub Dionysio senioreusq; ad adventum Dionis ad urbem Syracusas numerat annos 48.

Inde

Inde colligitur Dionysium iuniorem tertio tandem anno post adventũ Dionis tyrannidem deposuisse. De exilio huius iunioris Dionysij prolixè tractavimus lib.2.cap.32.

De mutatione regñj status in urbe Roma, & de novo magistratu Consulum, qui quoq; incidit in hanc 68 Olympiadem dicemus infra lib.4.cap.5.

Caput XXIII.

DE SEPTVAGESIMA OLYMPIADE.

ANno secundo 70 Olympiadis Aristagoras Mileti Tyrannus, qui suis seditiosis consilijs Persas in Græciam attraxit, à Thracibus interemptus est, à quo tempore usq; ad annum octavum belli Peloponnesiaci sunt anni 75. Sed de vero initio, progressu, & fine illius belli infra copiosius tractabitur. cap.30.

Caput. XXIIII.

DE SEPTVAGESIMA SECVNDA OLYMPIADE.

HÆc Olympias celebris est propter pugnam Marathoniam, in qua fortitudo Miltiadis Ducis Atheniensium adeo enituit, ut scriptis omnium pene historicorum posterritati consecrata sit: Nam Eusebius hanc pugnam ad initium septuagesimæ secundæ Olympiadis collocat, quod congruit cum anno tricesimo primo Darij Histaspis, & cum Eusebio. Herodotus & Dionysius quoq; unanimiter conveniunt, Herodotus enim lib.7. scribit Darium accepto huius cladis nuncio apparatum fecisse per triennium ad secundam expeditionem Græcanicã, quarto anno defecisse Ægyptios, quos Cambyses Persico imperio subiecerat, & altero à defectione Ægyptiorum anno mortuum esse. Hinc igitur apparet à trigesimo primo anno Darij Histaspis & clade Marathonia usq; ad trigesimum sextum annum, & finem regni Darij intercessisse annos quinq;, de quibus Herodotus hîc mentionem facit.

Et Dionysius cladem Marathoniam sedecim annis funere Bruti posteriorem facit, Occisus autem est Brutus in suo cõsulatu anno primo Olympiadis 68. à quo usq; ad 72. Olympiadem præcisè sunt anni 16.

Rectè autem Thucydides hoc prælium anno vicesimo post eiectũ ex Athenis Hippiam & Pisistratidas factum esse scribit, sed non rectè ab hoc prœlio Marathonio usq; ad prœlium navale in Salamine decem tantum annos numerat. Nam ex Herodoti numeris apparet navale prœliũ in Salamine añis 12. illo posterius fuisse. Thucyd. lib.1.6. Herodot. lib.5.6. vide supra lib.2. cap.30. & in proximo capite sequente.

SCHO-

SCHOLION.

Obſerva iterum annum primum Olympiadis 72. tam ad 31. quã ad 32 annum Darij Hiſtaſpis referri poſſe: Incidit enim hæc clades in feſtum Olympiarum ferè, quod annum Græcorum collatum cum anno Romano & aliarum gentium in duas partes dividebat, ut prior pars ad prçcedentem, altera ad ſequentem annum coniungeretur. Non igitur mirum, quod aliqui pugnam Marathoniã ad conſulatum Sp. Caſſij Viſcellini II & Poſthumij Cominij Aurunci II referunt, qui incidit in annum 32. Darij Hiſtaſpis, quo anno quoq; TRIBVNITIA POTESTAS Romæ inſtituta eſt Anno 261. ab V.C. anno vero 18. poſt fugam Tarquiniorum, ut ſcribit Pomponius Lætus cap. 18.

Ptolemæus ab initio regni Nabonaſſar uſq; ad annum 31. Darij Hiſtaſpis numerat annos 256. dies 122. quæ ſumma convenit quoq; cum noſtra Chronologia. Ptolem. lib. 4. cap. 9.

Caput XXV.

DE SEPTVAGESIMA QVINTA OLYMPIADE.

ADventum Xerxis in Græciam anno duodecimo à pugna Marathonia colloco ad initium Olympiadis 75. cum conſenſu omnium ferè Chronologorum authenticorum, quod tempus congruit cum ſeptimo anno regni Xerxis, ſic tamen ut idem annus partim ad quartum annum Olympiadis 74. partim ad annum primum Olympiadis 75 referatur. Nam Xerxes anno ſeptimo regni ſui ineunte, hoc eſt in vere eiuſdem anni movit exercitum verſus Græciam, & Helleſpontum traiecit, quod tempus ad Olympiadem 74. complendam referendum eſt: Menſe autem Iunio tempore Solſtitij æſtivi, quo nova Olympias, hoc eſt 75. celebrabatur, ad Thermopylas venit & ducentos Lacedæmonios unà cum rege Leonide trucidavit, atq; eadem æſtate Claſſis Xerxis deinceps bis profligata eſt primum ad Arthemiſium, deinde ad Salaminem, hac duplici clade perterrefactus Xerxes fugam arripuit, & poſtliminio Helleſpontum traiecit, Mardoniumq; cũ trecentis millibus Perſarũ in hybernis in Græcia reliquit, atq; hæc omnia contigerunt anno 1. Olympiadis 75. & quoq; anno ſeptimo Xerxis comprehenduntur. Poſt anno octavo Xerxis circa menſem Aprilẽ Mardonius Athenas incendit, & ſolo æquat, ſed cum Athenienſibus & Lacedæmonijs deinceps

ceps confligens interficitur ad Platæas mense Augusto. Hæ duæ clades Mardonij in eundem unumq; octavum annum Xerxis incidunt: prior autem ad annum primum, altera ad annum secundum Olympiadis 75 pertinet. Ita intra biennium ferè Persæ quatuor prælijs victi & tota Græcia expulsi sunt.

Primum ad Arthemisum ab Eurybiade. Secundo ad Salaminem à Themistocle. Tertio ad Plateas à Pausania. Quarto & eodem die ad Mycalen à Leotychide: Nam pugna ad Platæas diluculo diei gesta est, ad Mycalen vesperi, Herodot. lib. 9.

Quod autem Eusebius & alij quidam ipsum secuti hunc Adventũ Xerxis in Græciam ad annum quintum regni eiusdem retulerunt, pugnat cum Herodoto & harmonia temporum quod supra demonstravi lib. 2. cap. 30. in vita Xerxis.

Eodem die quo Græci victoria potiti sunt ad Salaminem, Euripides Poeta natus est, Suidas lib. 15. cap. 20.

Caput XXVI.

DE SEPTVAGESIMA OCTAVA OLYMPIADE.

HAc Olympiade obijt Hieron rex Siciliæ, ut testantur Scholia Pindari: Hoc tempus ideo tam diligenter annotamus, quòd ad stabiliendam seriem regum Siciliæ à nobis contextam maximum sit argumentum: vide supra cap. 22.

Caput XXVII.

DE OCTOGESIMA OLYMPIADE.

AD hanc Olympiadem refertur initium regni Perdiccæ, qui apud Eusebium undecimus est in serie regum Macedoniæ, & cœpit regnare anno 4. huius Olympiadis: quàm diu vero regnarit variæ extant opiniones veterum apud Athenæum lib. 5. cap. 13. Perdiccas, inquit Athenæus) annos quadraginta & unum ante Archelaum regnavit, ut Acanthius Nicomedius est autor, Theopompus vero annos unum & triginta eum regnasse asserit, Anaximenes quadraginta, Hieronymus viginti & octo, Marsyas & Philochorus viginti & tres. Retinet autem Athenæus ultimum numerum Marsyæ & Philochori, eumq; anno tertio belli Peloponnesiaci finiri ait, quo anno quoq; Periclem & Perdiccã mortuos esse scribit. Hæ tam variæ opiniones unde ortæ sint & quomodo conciliari queant breviter ostendam, si prius ex varijs autoribus tabellam regum Macedoniæ proposuero qui circa illa tempora regnarunt.

SERIES REGVM MACEDONIAE AB AMYNTA I. QVI FVIT NONVS REX MACEDONIAE, VSQVE AD ALEXANDRVM MAGNVM.

AMYNTAS · I.

Fuit filius Europi regis, quem adhuc infantem Macedones in cunis ante aciem pugnæ posuerunt, ut acrius ad prælium contra Illyrios accenderentur.

ALEXANDER
Hic legatos Darij Histaspis petulantius agentes in conuiuio interfecit. Iustin. lib. 7. A Mardonio Athenas missus pacem suasit. Herodot. lib. 8. Præmonuitq; Pausaniam quod Macedonius postridie cum Græcis conflicturus esset. Idem lib. 9.

MENELAVS

Thucydides lib. 1. Cleopatra — PERDICCAS II. *huic Perdiccæ ad coniunx huc duos fratres Perdiccæ. adiungit Philippum & Derdam.*
De huius regni tempore uariant autores. Athenæus lib. 15. cap. 13.

ALCETAS.

Eurydice *Prima coniunx.* — AMYNTAS II. — Cygæa *Secunda coniunx.*
Huius mentionē facit Xenophon lib. 5. Rerum Græcarum. Gessit grauia bella cum Olynthijs. Iustin. lib. 7.

PERDICCAS III.
Adhuc infans anno 7. ætatis suæ ab Archelao fratre notho occisus est. Plato in Gorgia.

ARCHELAVS
filius nothus Perdiccæ II. ex ancilla Alcetæ fratris eiusdem.

ALEXANDER
Hic cū patre suo Alceta ab Archelao filio notho Perdiccæ II. trucidatus est in conuiuio. Plato in Gorgia.

Euryone filia

ALEXANDER
Insidijs matris Euridices occisus est à Ptolemæo Alorite

PERDICCAS IIII.
Interfecit Ptolemæum Aloriten. captus est ab Illyrijs

PHILIPPVS. II
cœpit regnare Olympiade 105.

ARchelaus.

ARGAEVS II
Irrepsit in Catalogum regum Macedoniæ post Amyntam II. Vide sequentem Tabulam regū Macedoniæ.

MEnelaus.

ORESTES. ARCHELAVS. PAVSANIAS.
Hi octo annis ordine regnum tenuerunt, quibus extinctis rediit regnum ad Amyntam II filium Menelai, patruelem Perdiccæ & Alcetæ. Iustin lib. 7. Euseb. in Chronicis.

ALEXANDER
Magnus.

SCHOLION.

Nunc igitur ostendam unde tam variæ opiniones de tempore regni Perdiccę, huius nominis II ortæ sint, & quomodo conciliari possint.

Ac primum sciendum est annos viginti octo Perdiccæ & annos viginti quatuor Archelai filij ipsius nothi invicem commisceri, ita ut Archelaus cum Perdicca & filio ipsius legitimo (quem docendi causa Perdiccam III appello) totos viginti annos regnarit, solus tantum quatuor. Nam cum Perdiccas semper externis bellis detineretur ac domi quoq; regno metueret ab Alceta fratre & filio ipsius Alexandro, Archelaus proculdubio ex instinctu Perdiccæ patris utumq; per insidias in convivio interfecit, & à patre curam regni & tutelam iunioris Perdiccæ quasi re bene gesta accipere meruit. De viginti itaq; annis illis Archelai patri Perdiccæ ad superiores suos viginti octo annos asscribendi adhuc sunt anni tredecim, Perdiccæ autem filio septem, ne series temporũ interrumpatur.

Hæc manifestè ex Thucydide & alijs fidedignissimis autoribus demonstrari possunt: Nam viginti octo anni Perdiccæ patris tantum usq; ad secundum annum belli Peloponnesiaci pertingunt, & in hyeme sive fine primi anni exitum suum sortiuntur, quamvis Athenęus Perdiccam anno tertio huius belli obijsse scribat, sed falso, Thucydides enim in fine eiusdem anni Sitalcem regem Thracum expeditionem contra Perdiccam fecisse, & quarto anno post hoc, et septimo anno belli Peloponnesiaci Perdiccam Arrhibœum Lyncestarum regem sibi finitimum et hostem invasisse refert. Item anno 15. belli Peloponnesiaci Perdiccam factum esse hostem Atheniensium. Et anno 18. eiusdem belli hunc ipsum Perdiccam cum Atheniensibus & Thracibus bellum Amphipoli intulisse. Non igitur mortuus est Perdiccas anno primo aut tertio belli Peloponnesiaci, qui demonstratur anno 18. eiusdem belli adhuc in vivis fuisse, administrante interim in eius absentia regnum Macedonum Archelao filio notho.

Hoc igitur tempus à secundo anno belli Peloponnesiaci usq; ad 15. annum eiusdem, nimirum spacium 13. annorum aut Perdiccæ ad superiores 28 annos est attribuendum, aut cum annis Archelai permiscendum.

Secundò, Notum est ex Gorgia Platonis Perdiccæ ex Cleopatra regina natum esse legitimum filium nimirum Perdiccam III, eumq; septennem ab Archelao fratre notho trucidatum fuisse. Inde colligitur hunc filium Perdiccæ natum fuisse eodem anno quo pater factus est hostis Atheniensium, & ab ipso die nativitatis suæ pro legitimo rege Macedonum agnitum, nisi quod in pueritia patre abeunte ad bellum Amphipolitanum sub cura matris Cleopatræ & Archelai fratris nothi usq; ad exitum vitæ fuit. Huius septennium seorsim est numerandum, aut cum il-

lis viginti annis de quibus supra diximus commiscendum, ut præterea Archelaus solus quatuor annis regnarit.

Tertiò etsi autem incertum est quo anno regni sui defunctus sit Perdiccas pater, tamen præmissis his facilè apparet verum tempus quod ab ipso Perdicca usq; ad Archelaum defluxit: & hinc tanta varietas opinionum de tempore Perdiccæ ad hunc modum, ut mihi videtur, rectè conciliari potest, non invidens laudi cuiusquam, qui faciliorem nobis ostenderit rationem huius Conciliationis.

Caput XXVIII.

DE VERO TEMPORE REGNI PERDICCAE ET CONCILIATIONE VARIArum opinionum de hoc tempore, quas recenset Athenæus lib. 5. cap. 13.

VErum itaq; tempus regni Perdiccę usq; ad natum legitimum hæredem Perdiccam iuniorem est annorum 41. iuxta Acanthium Nicomedium, & Anaximenem, qui uno tantum anno ab Acanthio recedit: Inde sequuntur septem anni iunioris Perdiccæ qui expressè extant apud Platonem in Gorgia: post hunc quatuor tantum annis regnavit Archelaus solus.

Deinde quod Perdiccas à Hieronymo viginti octo annis regnasse scribitur, id quidem congruit cum opinione communi eorum Chronologorum qui Perdiccam anno tertio belli Peloponnesiaci obijsse putant, sed idipsum refutatur ex Thucydide. Iam qui Archelao viginti quatuor annos attribuunt, ijdem totos viginti annos Archelai quibus cum Perdicca & filio ipsius regnavit contra calculum Acanthij & Anaximenis seorsim numerant, & eidem adhuc quatuor annos ad explendum tempus regni adijcere coguntur.

Theopompi calculus de uno & triginta annis regni Perdiccæ cum aliorum opinionibus conciliari non potest. Ideo aliqui hoc tempus Archelao attribuerunt, quos si imitari quis voluerit, necesse erit ut initium huius temporis sumat ab eo anno quo Archelaus Alcetam fratrem Perdicæ cum Alexandro filio interfecit, de quo tamen nulla fit mentio apud alios autores.

Marsyæ & Philochori opinio inde orta est, quod cum Archelaus cœperit solus regnare anno 23 belli Peloponnesiaci, quo iunior Perdiccas ab eodem est occisus, Inde aliqui rem non rectè accipientes annum 23. belli Peloponnesiaci pro 23. anno regni senioris Perdiccæ intellexerunt. Ex Thucydide colligitur Perdiccam seniorem ultra quadraginta unum annos adhuc quatuor annos usq; ad bellum Amphipolitanum cum iuniore Perdicca filio suo legitimo regnasse, sed quando obierit non extat apud Thucydidem.

Caput XXIX.

TABELLA OMNIVM REGVM MACEDONIAE A CARANO PRIMO REGE VSQVE AD Alexandrum Magnum ex pluribus iisque optimis autoribus collecta.

CARANVS primus rex Macedoniæ regnavit annis 28. Ab hoc Carano Iustinus lib. 7. integrã seriem regũ Macedoniȩ & rerũ ab ipsis gestarum usque ad Alexandrum magnũ deducit, nisi quod Eusebius initio plures aliquot reges numerat quam Iustinus, sumus autem in annotanda serie temporum ferè ubique Eusebium secuti, prȩcedenti pagella emendavimus.

2	Cœnus regnavit annis	21.
3	Tyrimas.	38.
4	Perdiccas I.	51.
5	Argeus I.	38.
6	Philippus I.	38.
7	Europus.	26.
8	Alcetas.	29.
9	Amyntas I.	50.
10	Alexander.	43.
11	Perdiccas II.	41.
12	Perdiccas III. siveiunior.	7.
13	Archelaus I.	4.
14	Orestes.	3.
15	Archelaus II.	4.
16	Pausanias.	1.
17	Amyntas II.	6.
18	Argæus II.	1.
19	Amyntas II. iterum.	19.
20	Ptolemæus Alorites.	4.
21	Perdiccas IIII.	6.
22	Philippus II. pater Alexandri Magni 24. Cœpit regnare Olympiade quinta supra centesimam.	

Reliquam seriem regum Macedoniæ ab Alexandro Magno usque ad ultimum Regem Perseum, victum à Paulo Æmilio Anno ab v. C. 585. Vide supra lib. 2. cap. 41.

SCHOLION.

Amyntæ II Iustinus ordine tres filios Alexandrum, Perdiccam & Philippum subiungit, ex quibus duos priores Eurydice uxor Amyn-

tæ insidijs circumventos occidi curavit. Inde Ptolemæo Aloritæ aditus ad regnum factus est. Ex altera parte Argæus II Amynthæ filius non ex Eurydice sed Cygara coniuge, quocß regnum ad se rapere voluit, quē pater adhuc vivus compescuit. In his igitur mutationibus factum est ut Argæus & Ptolemæus Alorites quocß irrepserint in Catalogum regū Macedoniæ, & Alexander maior natu inter filios Amyntæ omitteretur. Observandum etiam est Amyntam qui ante Argæum & post eum regnavit unum eundemcß regem non duos esse.

Anno 17. Amyntæ I inchoatur Monarchia Cyri primi regis Persarum, & ab eodem anno Amyntæ per continuam seriem regum Macedoniæ uscß ad annum 7 Alexandri Magni, quo inchoatur Monarchia Græcorum elapsi sunt anni 203 quod est verum tempus Monarchiæ Persicæ: Qui addunt annos 26. quibus Cyrus ante Monarchiam in Persia tantum regnavit numerant annos 229. aliqui etiam 230. nimirum qui Cyro non tantum 29. annos regni, sed 30. annumerant. Vide supra lib. 2. cap. 17. 18. 19.

Caput. XXX.

DE OCTOGESIMA SEPTIMA OLYMPIADE ET BELLO PELOPONNESIACO.

ANno 2. Olympiadis 87. inchoatur bellum Peloponnesiacum, quod Athenienses cum Lacedęmonijs & alijs urbibus Peloponnesi gesserunt, & Thucydides octo libris uscß ad 22. annum ordine pertexuit, Xenophon autem lib. 1. & 2 Rerum Græcarum uscß ad finem nimirum ad 27. annum eiusdem perduxit & absolvit. Ex his autoribus integra historia petatur. Caussa huius belli hæc refertur. Erat commune fœdus Græcorum, ne qui alijs bella inferrent, sed ut controversiæ communi iudicio dirimerentur. Inciderunt autem inter Megarenses & Athenienses de Luco incenso contentiones, propter quem Attica civitas edictum proposuit in Megarenses, ut à portu Attico abstinerent, nec licebat eis ingredi in terram Atticam: De hac iniuria cum Megarenses apud Lacedæmonios quæsti essent, petunt Lacedæmonij ut edictum illud tollatur: Pericles fatetur caussam ipsam non magni momenti esse, sed exemplū non tolerandum: postea enim Lacedæmonios maiora imperaturos esse, si nunc in re parva cederent. Hac exaggeratione rem deducit ad bellum, quod Græciam maximè afflixit. Nam & diuturnum fuit, duravit enim annos septem & viginti, etsi breves inducias aliquantisper habuit. Et multæ civitates partim funditus deletæ sunt, ut Platæa, urbs Corcyreorum, urbs Meliorum, partim tristi servitute oppressæ sunt, cū grassarentur perpetuæ cædes in urbibus, ut Mitylene & ipsa urbs Attica, & bella ex bellis nova subinde orta sunt. Hæc de caussa huius belli

Melan-

Melanthon, alij alias adferunt, de quibus suum cuiq; relinquo iudicium: sed redeo ad tempus quo inchoatum est hoc bellum. Cumq; norim multos eosq; Clarissimos autores initium huius belli referre ad Olympiadē 88. nolo quidem eorum opinionem refellere, sed recensebo potius firmissima aliquot argumenta, ex quibus candidus Lector ipsemet perspiciet huius belli initium, non ad hanc, sed ad præcedentem 87 Olympiadem referendum esse.

I.

A fuga Xerxis ex Europa usq; ad bellum Peloponnesiacum numerantur anni 50. ut scribunt Thucyd lib. 1. Diodor. lib. 12. Fugit autem Xerxes anno 1. Olympiadis 75. à quo tempore usq; ad annum 2. Olympiadis 87 sunt anni 50.

II.

Olympiade 88. notus est Plato sub Aminia annuum Magistratū Athenis gerente, sub quo & Pericles obijt: Diogenes Laertius lib. 3. De vita Philosophorum: scribit autem Thucydides lib. 2. Periclem obijsse cum bellum Peloponnesiacum durasset annos duos & dimidium, sive ut Athenæus loquitur anno tertio belli Peloponnesiaci. Nequaquam igitur annus Olympiadis 88. belli huius initiū esse potest, cum iam idipsum ad tertium usq; annum processisset. Ac de certitudine natalis Platonis in proximo argumento clariorem demonstrationem subiungam.

III.

Anno 7. belli Peloponnesiaci in fine anni obijt Artaxerxes Longimanus rex Persarum. Thucyd. lib. 4. Hic annus congruit cum Olympiade 89. ratione collationis anni tertij huius belli cum Olympiade 88. ut patet ex natali Platonis, de quo adeo certus est Hermippus apud Laertium, ut non dubitet quoq; annum obitus eiusdem inde supputare: sic enim inquit. Moritur autem Plato anno 1. Olympiadis 108. in nuptijs discumbens, octogesimum & primum ætatis agens annum.

IIII.

Præterea Thucydides lib. 8. annum 13. Darij Nothi confert cum anno 21. belli Peloponnesiaci, atq; idem annus est Olympiadis 92 annus 2. Itaq; iam iterum annus primus huius belli necessitate ordinis ac temporis ad annum 2 Olympiadis 87. referri debet.

V.

Item Xenophon lib. 2. Rerum Græcarum bellum Peloponnesiacum finitum esse scribit anno 27. postquam cœpisset instante Olympiade 94. Et Iustinus eodem anno Darium Nothum regē Persarum quoq; obijsse refert anno regni sui 19. Hæc omnia aptissima serie & cathena quadam ita invicem cohærent, ut nullo modo convelli queant. Vide supra lib. 2. cap. 32.

VI.

Omnium autem argumentorum de certitudine initij & finis huius belli hoc longè est evidentissimum, quod Diodorus Siculus lib. 14. à capta Troia ad finem huius belli & captas Athenas à Lysandro numerat annos 779: Sunt enim à Troia capta usq; ad primam Olympiadē an-

ni 406. vide ſura cap. 5. & 6. Deinde ſequentes Olympiades 93. conſtituunt annos 372. hos adijce annis 406. reſultant anni 778. Adijce adhuc annum primum Olympiadis 94. qua inſtante hoc bellum finitum eſt & Athenæ captæ, & habebis præciſè numerum 779. annorum à Diodoro Siculo præſcriptum. Iam habito fine de initio nullum dubium eſſe poteſt. Duravit enim annis 27. ut antea eſt dictum.

SCHOLION.

Iterum admoneo lectorem ut meminerit Thucydidem eventa belli Peloponneſiaci non per communes annos digeſſiſſe, ſed per initia & exitus annorum Olympiacorum, qui inchoantur & exeunt circa Solſtitium æſtivum cum Olympia celebrabantur. Quod igitur Euſebius hoc bellum refert ad annum 1. Olympiadis 87. id nihil pugnat cum calculo noſtro. Nam ineunte vere, hoc eſt in fine anni 1. Olympiadis 87. Thebani Platæam Bæotiæ Athenienſium ſociam armis aggreſſi ſunt, quo facto commune fædus Græcorum ad triginta annos initum apertè ruptum eſt, unde Athênienſes & Lacedæmonij eorumq; ſocij utrinq; ſe ad bellum compararunt. Inſequente æſtate, cum qua inchoatur annus 2. Olympiadis 87. Archidamus rex Lacedæmoniorum cum exercitu populabundus ingreſſus eſt terram Atticam: atq; inde ſumitur huius belli & ingentium malorum Græciæ initium. Thucyd. lib. 2.

Porro tricennale fœdus inter Athenienſes & Lacedæmonios & utrorumq; ſocios poſt Eubœam à Pericle ſubactam, quæ ab Athenienſibus defecerat, initum eſt anno 3. Olympiadis 83. ut ſcribit Dionyſius, duravit annis 14. ruptum eſt anno 15. ut author eſt Thucydides loco iam citato.

Caput. XXXI.

ANtequam digrediar à bello Peloponneſiaco addam unicum adhuc locum de fuga Themiſtoclis in Aſiam, qui non parum negocij Chronologis faceſſit.

Funccius à fuga Themiſtoclis & prætura Periclis uſq; ad tertium annum belli Peloponneſiaci (quo obijt Pericles) numerat annos quadraginta, idq; autore Plutarcho, iuxta quem calculum ſequitur Themiſtoclem fugiſſe anno 4. Olympiadis 77. anno vero 19. Xerxis regis Perſarum: ſequitur & hoc Diodorum Siculum & Valerium Maximum rectè ſcribere, quod Themiſtocles fugiens ad Xerxem regem inſtituerit ſuam profectionem: ſed econtra Thucydides lib. 1. ſcribit Themiſtoclem fugiſſe ad Artaxerxem nuper regnare incipientem. Verum hæc varietas opinionum meo iudicio ita conciliari poterit, ut ſtatuamus Themiſtoclem quidem fugiſſe anno 19 Xerxis, ſed interea uſq; ad obitum Xerxis

xis per sesquiannum in itinere latitasse & hæsisse donec tandem in Asiã ad Artaxerxem tum regnare incipientem pervenerit. Alij hanc fugam Themistoclis referunt ad annum 2. Olympiadis 77. quod exiguum discrimen facit à calculo Funccij, sciendum tamen est, quantò magis hæc fuga in anteriora tempora retrahitur, tantò magis à Thucydide & Plutarcho receditur: vide supra lib. 2. cap. 31.

Caput XXXII.

DE NONAGESIMA SEXTA OLYMPIADE.

ANno 2. Olympiadis 96. Lysander Dux Lacedæmoniorum, interfectus est ad Haliartum Bœotiç, anno trigesimo à pugna ad Delium: Plutarchus in Lysandro.

SCHOLION.

Cum Thucydides lib. 4. pugnam ad Delium referat ad annum octauvm belli Peloponnesiaci, deficit Plutarcho annus unus ad complendum numerum tricenarium, nisi fortasse de industria, pleno numero uti voluit.

Caput XXXIII.

DE NONAGESIMA OCTAVA OLYMPIADE, ET ALIQVOT sequentibus.

HAC Olympiade Artaxerxes rex Persarum legatos in Græciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere, qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum: civitatibus libertatem suaq; omnia restituit: Fessi igitur tot bellis Græci cupidè paruêre. Hic annus non eò tantum insignis fuit, quod repente Pax in tota Græcia facta est, sed etiam eò, quod eodem tempore urbs Romana à Gallis capta est. Iustinus lib. 6. Xenophon lib. 5. rerum Græcarum. Polyb. lib. 1. Pax hæc Antalcidæ appellata est, quod eam Antalcides Spartanus potissimum ab Artaxerxe rege Persarum impetrasset. Annò 3. Olympiadis proximè sequentis natus est Aristoteles, anno septimo post captam ur-

bem Romanam à Gallis. Gellius lib. 17. cap. 21. Anno deinceps 16. à Roma Capta per Gallos commiſſa eſt pugna Leuctrica, in qua Cleombrotus rex Lacedæmoniorum cum mille Spartanis, quorum pręcipua erat nobilitas cæſus eſt ab Epaminonda Duce Thebano, die 5. Iunij. Xenophon lib. 6. Rerum Græcarum. Polyb. lib. 1.

Commiſſa eſt igitur Pugna Leuctrica Anno Mundi 3593. Anno 1. Olympiadis 102. Anno 32. poſt captas Athenas, Anno 36. ante initium Alexandri Magni.

SCHOLION.

Pauſanias lib. 7. ſcribit Helicen urbem terræmotu ad internecionem deletam eſſe, Aſteo Athenis ſummum magiſtratum gerente Olympiade 101. anno 4. qua Damon Thurius victor primum renunciatus eſt. Et paulo poſt lib. 9. ſcribit Platæam urbem à Thebanis oppreſſam anno tertio ante Leuctricam pugnam Athenis quoq; Aſteo principatum obtinente. Hinc aliqui colligunt, quemadmodum deletio Helices & oppreſſio Plateæ in eundem annum 4. Olympiadis 101. incidunt (quo Aſteus Athenis principatum obtinuit) Ita neceſſitate conſequentiæ pugnam Leuctricam incidere in tertium ſequentem annũ, qui eſt Olympiadis 102. annus 2. incluſivè.


Huc facit quod idem Pauſanias lib. 8. deductionem Megalopolitanam ab Arcadibus factam eſſe dicit paucis poſt menſibus quàm Lacedæmonij Leuctricam cladem acceperunt, Athenis ſummum magiſtratum gerente Phraſiclide Olympiade 102. altero anno, qua Damon Thurius palmam è ſtadio tulit.

Cur igitur, inquies, pugnam Leuctricam ad annum 1. Olympiadis 102. refers, contra expreſſa teſtimonia Pauſanię, qui eandem refert ad annum proximè ſequentem?

Reſpondeo. Hæc pugna facta eſt die 5. Iunij ſive Hecatombæonis ante Olympia, teſte Plutarcho in Camillo & Ageſilao: Megalopolis verò deducta eſt aliquot menſibus poſt Olympia uno quidem eodemq; anno ſecundum rationem anni Romani, ſed ſecundum calculum Græcorũ hæ duæ hiſtoriæ in duos diverſos annos partiendæ ſunt, ut Leuctrica pugna referatur ad annum 1. Olympiadis 102. (nam ſic conſentit cum anno 16. à capta urbe Romana à Gallis) Deductio autem Megalopolitana referatur ad annum 2. eiuſdem Olympiadis, quippe quę poſt feſtum Olympiacum, quo inchoabatur novus annus, aliquot menſibus contigerit.

Et diligentiſſime obſervandum eſt Pauſaniam hoc poſtremo loco non potiſſimum de Pugna Leuctrica, ſed magis de Megalopolitana Deductione ſermonem facere.

Caput



Caput XXXIIII.

DE OLYMPIADE CENTESIMAQVINTA ET ALIQVOT SEQVENTIBVS VSQVE AD Alexandrum Magnum.

HAC Olympiade Philippus Amyntæ F. Pater Alexandri Magni rex Macedoniæ factus est, & regnavit annis 24. Ad huius regis annos Diodorus non solum res in Græcia, sed etiam apud exteros gestas diligentissimè confert, annotatis iuxta & Olympiadum serie & annis ab urbe Roma condita.

Diligentissime autem observandum est, primum annum Philippi, partim ad annum 4 Olympiadis 104. partim ad annum 1. Olympiadis 105. referri, ac nisi res gestas Philippi per æstates & hyemes diviseris iuxta initia & fines annorum Olympiacorum, ut Thucydides fecit in bello Peloponnesiaco, nunquam rectè concordabis annos eiusdem cum annis consulum Romanorum: qua de causa Diodorus (quod etiam diligentissime observandum est) in Cōsulibus Romanorum collatis ad annos Philippi ubiq; anno dimidio anticipat, ideoq; ultra viginti quatuor annos adhuc dimidium annū Philippo adijcere cogitur, ut tempus regni ipsius ad Olympiadem III. & initiū Alexandri Magni extendere possit. Propter hanc anticipationem in serie consulum Romanorum Res Græcæ cum annis Philippi collatæ quoq; alicubi anticipant: Exempli gratia: Initium Belli sacri Phocensis refertur à Diodoro ad annum 6. Philippi regis Macedonum, quo instante æstate inchoatur annus 1. Olympiadis 106. Sed Pausanias initium huius belli refert ad annum 4. Olympiadis 105. Anticipatio igitur est nō unius sive totius, sed dimidij tantum anni. Nam cum initium anni 6. Philippi incidat in mediam æstatem, qua inchoabatur annus 1. Olympiadis 106. sequitur secundum Pausaniam initium belli sacri incidisse in hyemem precedentem, quæ erat finis anni 4. Olympiadis 105. & anni quinti Philippi regis iuxta calculum annorum Olympiacorum, Eadem tamen hyems et subsecuta æstas unū eundemq; annum apud Romanos constituunt, in quorum consulibus Diodorum ubiq; dimidio anno anticipare diximus. Sed æstates & hyemes annorū Olympiacorum cum rebus gestis aliarum gentium, quæ aliter inchoant annum difficulter omninò coaptari possunt. Ideoq; propter hanc divisionem temporum Thucydides non immeritò à Dionysio Halicarnassæo reprehensus est, & Diodorus ipsemet in collatione annorū Alexandri Magni & consulum Romanorum postea valde rem involvit, cum tamen utrarunq; partium tempora seorsim computata aliâs sint planissima & expeditissima.

Hac difficultate Diodorus quoq; coartatus Bellum Sacrum nunc ad novem, nunc ad decem, postremò etiam ad undecim annos cōtinuatum esse scribit, quod iuxta Pausaniam & verum calculum annorum Olympiacorum precisè est decem annorum. De hoc bello facta quoq; est mentio supra lib. 2. cap. 37.

Anno 4. Olympiadis 105. Dion Platonis amicus Syracuſas occupavit eiecto Dionyſio iuniore, à quo tempore uſq; ad Tyrannidem ſenioris Dionyſij Theopompus retro numerat annos 50. Diodorus in Philippo. Plutarchus in Dione: vide quoq; ſupra cap. 22.

Anno 2. Olympiadis 106. Anno ab V.C. 398. obijt Mauſolus Cariæ Regulus, cuius ſepulchrum ab Arthemiſia vidua conditum inter ſeptem orbis miracula relatum eſt. Diodorus ibidem.

Plinius lib. 36. cap. 5. & 6. Obitum Mauſoli refert ad annum 2. Olympiadis 100. & eundem annum confert cum anno 302. ab V.C. qui locus eſt corruptiſſimus: Puto autem in Latinis & Germanicis cyphris erratum fuiſſe. Nam apud Latinos pro 106, facilè ſcribi poteſt 100. dempta tantum ſuperiore curvatura Cyphræ 6: & cũ in Pliniano codice proculdubiò Germanicis cyphris ſcriptum extiterit anno ab V. C. CCCIIC. imperitus antiquarum ſcriptionũ fortaſſe ultimum C. abiecit, ut remanſerit CCCII. Vnde hoc erratum tranſcribendo in alia exemplaria quoq; dimanavit. Porro Plinius lib. 2. cap. 25. eundem annum 398. ab V.C. confert quoq; cum Olympiade 108. ubi errati cauſa fuiſſe videtur curvatura cyphræ 6. nimium in inferiorem partem reflexa, ut figuram Cyphræ 8. repræſentarit. Omninò autem deteſtanda eſt oſcitantia eorum, qui in hiſtorijs legendis aut tranſſcribendis non obſervant, an eædem quoq; conveniant cum exacta ſerie temporum: unde fit ut poſtea boni autores tot erroribus infarciantur. Apud Gellium Sophiſta quidam ἀπαίδευτος hoc eſt inſulſus & ineruditus aſinus publicè diſſerens Carneadem Philoſophũ à rege Alexandro Philippi filio pecunia donatum, & Panætiũ Stoicum cum ſuperiore Africano vixiſſe dixit, ſed quanto cum errore temporum et Perſonarum? Nam Alexander Magnus Philippi filius centũ & undecim annis, ante Carneadẽ natum fato defunctus reperitur, Scipio autẽ cum quo vixit Panætius Stoicus non eſt Scipio ille ſuperior Africanus, ſed nepos euſdẽ, filius vero Pauli Æmilij, unde et Æmilianus dictus eſt. Diog. Laertius lib. 4. De vita Philoſophorum. Plutarchus in Libello quod Philoſopho cum principibus viris maximè ſit diſputandum. L. Florus Epitomæ lib. 48. Non immeritò igitur D. Hieronymus Chronico Euſebij à ſe in Latinam linguam verſo hanc Obteſtationem graviſſimám prępoſuit: Adiuro te, inquit, quicunq; hos deſcripſeris libros per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum & glorioſum eius adventum, in quo veniet iudicare vivos et mortuos, ut conferas quod ſcripſeris, & emendes ad exemplaria ea, de quibus ſcripſeris, diligenter. Et hoc adiurationis genus tranſſcribas & tranſſeras in eum codicem quem deſcripſeris. Hæc ille: nec tamen præcávere potuit, quin per negligentiam & inſcitiam librariorum ſequentibus temporibus Chronica Euſebij alicubi ita corrumperentur, ut vix ſanari queant.

Anno 1. Olympiadis 108. obijt Plato Philoſophus anno ætatis ſuæ 81. vide ſupra cap. 30.

Anno 4. Olympiadis 109. Philippus rex Macedoniæ anno regni ſui 20. Perinthum & Byzantium obſedit. Ab hoc anno uſq; ad Heracli-

darum

darum reditum in Peloponnesum sub Tisameno Orestis filio Lacedæmoniorum rege, Ephorus Cumæus retro numerat annos 750 ferè. Diodorus in Philippo. Vide supra lib. 2. cap. 35.

Anno 3. Olympiadis 110. Philippus Macedo Athenienses & Thebanos memorabili prœlio ad Cheronæam vicit, die 7. Iulij, quo die eiusdem anni Archidamus rex Spartanus in Italia à Brutijs quoque cęsus est. Eodem anno Isocrates Orator Atheniensis audita clade Cheronensi moritur anno ætatis suæ 99. & Decius pater se pro salute patriæ devovet, Anno ab V.C. 415.

Caput XXXV.

DE OLYMPIADE CENTESIMA VNDECIMA.

INitium regni ALEXANDRI MAGNI in Macedonia omnium Chronographorum & historicorum consensu ad Olympiadem III. refertur, quod tempus diligenter observandum est, quia multa ab hoc tempore supputari solent. Congruit autem cum anno Mundi 3629. Ab V.C. 416. Ante Christum natum 332. Sed initium Monarchiæ ipsius septennio post inchoatur, sexto enim anno regni sui Darium ultimum regem Persarum devicit, & Monarchiam Persicam destruxit, quæ floruerat annis 203. ut iam sæpius est commemoratum. Septimo verò anno Alexandri deinceps inchoatur Monarchia Græcorum, & ab hoc tempore usque ad Machabæos & Antiochum Epiphanem elapsi sunt anni 154. Quod vero lib. 1. Machab. cap. 1. dicitur Antiochum Epiphanem regnare cæpisse anno 137. regni Græcorum non est ille textus referendus vel ad initium regni Alexandri in Macedonia, neque ad initium Monarchiæ Alexandri sive Græcorū, sed ad primum annum Seleuci Nicanoris, à quo sumitur initiū regni Græcorū in Syria anno 14 ferè post obitum Alexandri Magni, ut dictum est lib. 2. cap. 39. Obijt autem Alexander Olympiade 114. instante anno regni Macedonici 12. Monarchiæ 6. ætatis 32. Seriem annorum ipsius diligenter quoque annotavit Diodorus, nisi quod in collatione eorum cum consulibus Romanis interdum hallucinatur, et nos in prioribus libris quæ amplius de temporibus Alexandri dicenda restant, copiosè tractavimus, ut eadem toties repetere non solum non videatur necesse, sed etiam occupato alijs negocijs lectori grave futurum sit, & molestum.

Quo ordine deinceps ab obitum Alexandri Magni usque ad Nativitatem Christi Olympiades deducendæ sint, & qua Olympiade quoque anno idem verus Messias Dominus ac salvator noster occisus est pro salute totius generis humani, & finitæ sunt LXX Hebdomades Danielis diximus lib. 1. cap. 21. Et de fine Olympiadum mentio facta est in præfatione huius libri, nec ignoro Funccium finem earum referre ad annum Christi 446. cum post illud tempus earum series in authenticis historijs

non amplius numeretur. Nunc vero cum fine Olympiadum & huic libro tertio Deo volente finem imponere libet.

FINIS LIBRI TERTII
De Scrupulis Chronologorum.
Deo Soli laus, honor & gloria, Amen.

DE SCRVPVLIS
CHRONOLOGORVM
LIBER QVARTVS.

PRAEFATIO.



Actenus annorum mundi ſeriem ex certis fundamentis ſacræ ſcripturæ ita deduximus, ut tempora quatuor Monarchiarum & Olympiades Græcorum cum eadem ſerie pulcherrima, ut ſpero, harmonia invicem convenire videantur: Nunc Deo volente oſtendam quomodo Anni ab urbe Roma condita ad idem Syſtema temporum ritè coaptari poſſint.

Breviſſimus autem hic ero, cum quod nihil in hoc libro dici poterit, quod non dictum fuerit ſupra in prioribus tribus libris, potiſſimum autem in tertio, tum quod res Romanorum ab aliis & innumerabilibus ſcriptoribus antea tam exactè ſunt annotatæ, ut ſi abſolutè ſine reſpectu rerum alibi geſtarum per ſe conſiderentur, Pulchriore ordine conſignari non queant.

Nec diſputabo quam diu Roma ſteterit antequam à Romulo quadrata ſive regia reddita eſt, id enim Sempronio & eius commentatoribus diſcutiendum relinquo: Nec litem meam faciam, quæ Plutarchus de Etymologia nominis urbis Romæ in ſuo Romulo copioſiſſimè tractat. Et qua poſitione Planetarum Roma condita ſit ſub Romulo Lucius Carrutius ſuos Mathematicos docebit. Tantum hoc agam in ſequenti libro. Primum præmiſſa tabella oſtendam Annos à condito Mundo uſque ad Romã conditam. Inde per inſigniores aliquot Eventus Annos à condita Roma uſque ad Alexandrum Magnum, & ab hoc uſque ad initium Monarchiæ Romanæ ſub Iulio & Auguſto Cæſaribus ordine deducam.

Tertio. Dum prædictos Eventus rerum ab V. C. geſtarum ordine deduco, interea eoſdem eventus cum ſacra ſcriptura & temporibus quatuor Monarchiarum, atque Olympiadibus Græcorum cõnectam, et ſub unum quaſi aſpectũ collocabo, ac ſic Deo iuvante huic operi finem imponam.

Caput

DE SCRVPVLIS CHRONOLOGOR.

Caput I.

QVod hactenus in aliis libris observavi, ut primum proponerem Tabellam generalem continentem universam seriem annorum Mundi usque ad nostra tempora, vel ex sacris Bibliis vel secundum ordinem quatuor Monarchiarum, aut numerum Olympiadum deductam, atque inde ostendi qua in parte Scrupuli aliquot incidissent, & quomodo sine ruptura harmoniæ Chronologicæ eximi possent. Id quoque in hoc ultimo libro Deo volente observabo. Omnia autem hic erunt breviora & faciliora, quòd, ut dixi, pleraque magna ex parte in prioribus tribus libris ita sunt enucleata, ut eadem pluribus repetere non fuerit opus.

IIII. TABVLA ANNORVM MVNDI.

Ex serie Annorum ab urbe Roma Condita deducta.

1656 A Condito Mundo usque ad Diluvium.
828. A Diluvio usque ad Initium regni Troiani.
297. Ab Initio regni Troiani usque ad captam Troiam.
430. A Capta Troia usque ad urbem Romam à Romulo conditam.
244. Ab urbe Roma condita ad initium consulum post exactos reges.
121. Ab initio Consulum usque ad Gallorum adventum & urbem ab iisdem captam.
345. Ab urbe à Gallis capta usque ad Augustum Imperatorem.
41. Ab Augusto ad Christum: Nam anno 42. Augusti Imperatoris natus est ex Maria Virgine Filius Dei Dominus noster Iesus Christus.

Summa omnium annorum ab initio Mundi usque ad Nativitatem Christi. 3962.
1574. à Nativitate Christi usque ad præsentem annum Summa omnium annorum ab initio Mundi usque ad præsentem annum. 5536.

In hac Tabula unicus Scrupulus nobis excutiendus restat, qui est in eo anno, quo urbs Roma condita est. Nam cum in hoc anno à pluribus supra modum erratum sit, dici non potest, quantas deinde nobis confusiones pepererint qui in annotatione historicorum eventuum res gestas Romanorum cum temporibus aliarum gentium perperam confundunt & commiscent. Constituto autem certo & fixo anno urbis con-

conditæ, deinde ſeries temporum per Reges & Conſules aliosq; Magiſtratus aptiſſimo ordine deducta eſt à Livio atq; alijs: Etſi enim Livius lib. 2. ab V. C. conqueratur, tantos errores tempora implicare, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, ut nec qui conſules ſecundum quoſdam fuerint, nec quid quoq; anno actum ſit in tanta vetuſtate, nō rerum modo, ſed etiam autorum digerere poſſis, tamen iſti errores (quia tantū in nominibus conſulum & aliorum Magiſtratuum alicubi ambigitur) facilè per alios inſigniores eventus rerum intra & extra urbem geſtarum rectificari poſſunt.

Et bonam operam præſtiterunt qui noſtro tempore Seriem conſulum & aliorum Magiſtratuum Romanorum tam indefeſſo ſtudio & diligentia emendarunt, ut non potuerint maiori, ſicut fecerunt Haloander, Glareanus, Funccius, Panvinius & alij nonnulli.

Caput II.

DE VRBE ROMA CONDITA.

VRbem Romam multis ſeculis ante ætatem Romuli fuiſſe conditam & inhabitatam, nec à Romulo ſed à Roma Itali filia originem huius nominis ſortitam eſſe, claſſici aliquot autores expreſſè affirmant, ut Fabius Pictor de aureo ſęculo, Sempronius de diviſione Italiæ, Plutarchus in Romulo, quibus etiam accedunt commentarij Iohannis Annij Viterbienſis.

Verum de hoc tempore quo Romulus ex oppipulo Roma in Palatino colle urbem quadratam & regiam reddidit, duæ ſunt potiſſimum ſententiæ. Altera eſt Plutarchi, altera Dionyſij Halicarnaſſæi.

Plutarchus ſcribit Romam eſſe conditam anno tertio Olympiadis ſextæ, Dionyſius vero anno primo Olympiadis ſeptimæ. Etſi autem exiguum eſt Intervallum, nimirum unius anni et menſium aliquot, quo diſcrepant inter ſe autores tanti, tamen ſi rem penitius introſpiciamus & tempora probè diſtinxerimus reperiemus utriusq; ſententiam ſibi aptiſſimè invicem convenire.

Plutarchi ſententia ita eſt accipienda, ut qui velit id tempus incidere in annum tertium Olympiadis ſextæ quo Romulus & Remus Amulium avi materni fratrem trucidarunt, & urbem Romam denuo condere aggreſſi ſunt. At Dionyſium intelligamus loqui de ædificatione urbis Romæ completa, à quo tempore & imperium Romuli & anni ab V.C. numerantur: Intervallum igitur unius anni & menſium duorum plus minus eſt medium tempus ab inchoatione urbis condendæ uſq; ad completionem eiusdem conditæ & imperium Romuli.

Accuratiſſimè autem hoc tempus eſt diſtinguendum, ut verus annus

nus conditæ urbis Romæ cum certo & fixo anno mundi aliorumq; imperiorum conferri & coaptari possit.

Anno Mundi 3212. Romulus & Remus Amulium Sylvium regem Latinorum avi materni fratrem obtruncant, anno regni ipsius 44. & Numitori Albana re permissa Vrbem Romam condere cœperunt.

Scribit autem Plinius Romulum mœnia urbis Romæ condendæ aratro designasse 11. Calendis Maij, hoc est 21. die Aprilis lib. 18. cap. 16. Plutarchus uno die anticipat, & hoc tempus, ut dictũ est, ad annum tertium Olympiadis sextæ refert. Sed à die 21. Aprilis usq; ad diem 6. Iunij (quo inchoabantur & finiebantur anni Olympiaci) tantum 46. dies de anno tertio Olympiadis sextæ supererant, et eodem anno mundi inchoabatur annus 4. Olympiadis 6. Iam à sexto die Iunij Anni Mundi 3212. integer annus nimirum Olympiacus elapsus est usq; ad diem 6. Iunij anni Mundi 3213. quo inchoatur annus 1. Olympiadis 7.

Illi igitur 46. dies à vicesimo primo die Aprilis usq; ad diem 6. Iunij anni 3212. atq; inde sequens annus Olympiacus usq; ad sequentem annum 3213. est intervallum ab inchoatione condendæ urbis usq; ad conditam urbem.

Condita autem urbe anno 1. Olympiadis 7. Romulus primus Rex Romanorum regnum suum auspicatus est hoc eodem anno Mundi 3213. Et hoc tempus, ut iterum atq; iterum eiusdem candidum & historicæ veritatis amantem lectorem admoneam, annotat Dionysius, quod est unius tantum anni iuxta Romani anni calculum, sed iuxta calculum anni Olympiaci est unius anni & duorum plus minus mensium, qui quoq; pro anno computantur. Hanc discrepantiam initia & fines alterutriusq; anni pariunt.

Hæc accurata annotatio temporum preclaras habet demonstrationes, & multum lucis adfert lectioni aliquot præstantium autorum.

1. Plutarchus scribit Numam Pompilium II Regm Romanorum natum esse eodem tempore quo Romulus urbem Romam condere cœpit, & regnare cœpisse anno 40. ætatis suæ, anno 3. Olympiadis 16. quod & Dionysius lib. 2. annotat. Iam cum Romulus secundum Dionysium tantum regnarit annos 37. & à morte ipsius usq; ad initium Numæ interregnum unius tantum anni computetur, necesse est ut Romulo ad hos 37. annos & unum annum interregni adhuc unum annum & aliquot menses (quos ante regnum suum in cõdenda urbe consumsit) addamus ut conficiantur anni quadraginta, quæ fuit ætas Numæ cum inciperet regnare.

2. Quod igitur Plutarchus alibi scribit Romulum tantum annis 38. regnasse, id de eo tempore accipiendum est, quo post conditam urbem regnum auspicatus est. Quod verò Livius ait Romulum in quadraginta annos tutam pacem habuisse, illi anni inchoandi sunt ab eo temporis puncto quo urbis condendæ mœnia aratro designavit: nisi malimus Livium pleno & rotundo numero usum neglecto anno & mensibus illis plus minus duobus, ut supra est dictum.

V

3. Porro à Condita iam urbe usq; ad initium Numæ non plures quam 39. anni inclusive numerantur, & hunc calculum sequitur Eusebius.

4. Iam quod Glareanus & alij cum Dionysio Halicarnassæo à capta Troia usq; ad urbem Romam Conditam numerant annos 432. alij tantum 430. hac distinctione temporum facilè conciliari potest, modo hos annos numeremus usq; ad initiū condendæ, illos ad initium conditæ urbis & imperij à Romulo auspicati.

5. Vsus autem obtinuit ut anni à Roma Condita & regni Romanorum inchoentur ab anno 1. Olympiadis 7. Hic annus congruit cum Anno Mundi 3213.

SCHOLION.

Quod in hac tabella præterita serie aliorum temporum, evestigiò ad annum urbis Romæ conditæ properavimus duplici de causa factum est. Primum quod brevitari studendum putavimus. Deinde quod alia tempora quæ precesserunt urbem Romam & quorum mentio fit in tabella iam antea satis superq; sint explicata: Nam annos à condito Mundo usq; ad Diluvium reperies supra lib.1.cap.3. quemadmodum annos 828. à Diluvio ad initium regni Troiani & annos 297. ab initio regni Troiani usq; ad destructionem eiusdem, annosq; 430. à capta Troia usq; ad urbem Romam à Romulo conditam quoq; reperies supra lib.3.cap.2.& 3. Non igitur opus fuit eadem hic repetere.

Caput III.

TESTIMONIA GRAVISSIMORVM ALIQVOT AVTORVM QVI IDIPSVM TEMPVS Conditæ urbis Romæ diligentissimè annotarunt.

SVpra lib.3.cap.3. ubi citavimus testimonia gravissimorum aliquot autorum de verò tempore captæ Troiæ, à quo usq; ad urbem Romam conditā numerantur anni 430. diximus quoq; id intervallum 430. annorum à Sempronio Strabone & Velleio Paterculo annotari: Eorum itaq; testimonia nunc recensebimus ac postea hunc locum concludemus.

Sempronij verba hæc sunt in libello de Divisione Italiæ. Cum Pomponius Atticus coram senatu atq; doctissimis viris conferret Græcorum certissima tempora, compertum est, quod ab Ænea & Troia excisa per tempora regum Latinorum usq; ad Romulum regem iam creatum fluxerunt anni circiter triginta & quadringenti. Quare haud dubiè condita est Roma Olympiade septima aut eius anno secundo.

Strabo lib.5. Amulij & fratris Numitoris historiam annis 400. post Albam ab Ascanio conditam accidisse narrat, condita autem est Alba

circiter

circiter annum 32. à capta Troia, ut supra ostendimus lib. 3. cap. 6.

Vellei Paterculi verba sunt. Sexta Olympiade post duos & viginti annos quam prima constituta fuerat, Romulus Martis filius ultus iniurias avi Romam urbem Palilibus in Palatio condidit, à quo tempore ad te M. Vinicium Consulem anni sunt 781. Id actum post Troiam captã annis 430. Ita enim in emendatis exemplaribus legendum est. Nam cum ab Augusto anni 72. ad M. Vinicium consulem computentur & Augustus regnare cœperit anno ab V. C. 710. non plures quam 781. anni inclusivè ab V. C. ad prædictum consulem Vinicium colliguntur. Et cum Paterculus in annotatione Olympiadis sextæ sequatur Plutarchũ, præcisè 430 annos à Troia capta usque ad initium urbis numerare cogitur. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, à prima Olympiade ad Romam conditam colligit annos 24. iuxta calculum Dionysij: quomodo autem propter hoc biennium Velleius Paterculus & Clemens Alexandrinus nihil dissentiant, demonstravimus paulò ante in conciliatione Plutarchi & Dionysij.

Vnum adhuc testimonium addam ex Solino auctuarij vice, qui cap. 2. inquit. Collatis nostris & Græcorum temporibus invenimus incipiente Olympiade 7. anno post Ilium captum 433 urbem Romam conditam esse. Ibidem quoque inquit C. Pompeio, & Q. Verannio Coss. annum ab V. C. 801. numeratum, & eorum consulatu Olympiadem 207 publicis actis annotatam fuisse. Atque hic unus autor verè Polyhistor si opus sit satis superque veritati solus patrocinari potest, nec refert etsi in tanta annorũ summa uno anno à calculo Dionysij & qui illum sequuntur recedit.

Caput IIII.

NVnc in Tabula huic libro præmissa sequitur series Regum Romanorum, qui ab V. C. 244 annis regnarunt usque ad initium consulũ consentientibus omnibus in hoc tempore historicis, ideoque pluribus hic non est opus. Tantum igitur ostendendum restat, quomodo tempora Regum Romanorum cum serie Olympiadũ & annis ab V. C. connectantur, qua in re Chronologia nostra cum numeris Dionysij Halicarnassei ubique pulcherrimè consentit.

ROMVLVS I. Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3213. anno ab V. C. primo & anno 1. Olympiadis 7. regnavit annis 37. & post obitum ipsius intercessit interregnum unius anni usque ad Numam Pompilium. Livius lib. 1. Dionysius lib. 1. Eusebius in Chronicis.

NVMA POMPILIVS II Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3251. anno ab V. C. 39. anno 3. Olympiadis 16. regnavit annis 43. Dionysius lib. 2.

TVLLVS HOSTILIVS III Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3294. anno ab V. C. 82. anno 2. Olympiadis 27.

Dionysius lib.3. Obijt Olympiade 35. Solinus cap.2. Regnavit igitur annis 32.

ANCVS MARTIVS IIII. Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3326. anno ab V.C. 114. anno 2. Olympiadis 35. Regnavit annis 24. Dionysius ibidem.

L. TARQVINIVS Priscus V. Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3350. anno ab V.C. 138. anno 2. Olympiadis 41. Regnavit annis 38. Dionysius ibidem.

SERVIVS TVLLIVS VI. Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3388. anno ab V.C. 176. anno 4 Olympiadis 50. Regnavit annis 44. Dionysius lib.4.

L. TARQVINIVS SVPERBVS VII & VLTIMVS Rex Romanorum cœpit regnare Anno Mundi 3432. anno ab V.C. 220. anno 4. Olympiadis 61. Regnavit annis 25. Dionysius ibidem.

Summa 244. annorum quibus Romæ regnatum est per septem Reges ab urbe condita usque ad initium consulum.

Caput V.

Electis Regibus propter stupratam Lucretiam à filio regis Tarquinij Superbi, Consules cœpere pro uno rege duo hac de causa (ut Eutropius inquit) creari, ut si unus malus esse voluisset, alter habens similem potestatem eum coërceret.

Et placuit ne imperium longius quam annum unum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiliores semper essent, qui se post annum privatos scirent futuros.

Etsi autem, ut supra capite primo dictum est, Livius conqueritur tempora consulum aliquanto esse intricatiora, ut non satis digerere possis, qui consules secundum quosdam fuerint, nec quid quoque anno actũ sit, tamen ibidem quoque ostendimus, quod ea tempora per alios rerum eventus facilè rectificari possint.

Nos in Tabula Annorum ab urbe Roma condita usque ad Augustum Imperatorem tres tantum insigniores Eventus annotavimus. Primus est ab ipsa urbe condita usque ad initium consulum, ac de hoc tempore quod est 244. annorum nullum est dubium. Alter ab initio consulũ usque ad Gallorum adventum, & urbem ab ipsis captam. Tertius est ab urbe à Gallis capta usque ad Augustum Imperatorem: secundo Eventui tribuimus tempus annorum 121. Tertio vero annos 345. quæ tempora facile quoque demonstrari possunt, ut & hic nullus Scrupulus dubitandi relinquatur. Nam quod ad Demonstrationem horum temporum attinet nititur illa his duobus firmissimis argumentis.

Primum, Omnes tam veteres quàm Neoterici Chronologi uno consensu ab urbe condita usque ad Gallorum adventum & urbem ab ijsdem

dem

dem captam numerant annos 365. Iam cum Roma sub septem regibus fuerit annis 244. usq; ad initium consulum (de quo nullum est dubiũ) necessario & irrefragabiliter sequitur ab initio consulum usq; ad hunc tristissimum eventum, quem à Gallis perpessa est, non plures nec paucio res quam 121. annos intercessisse.

Alterum. Apud eosdem quoq; Chronologos uno eodemq; consensu ab urbe condita usq; ad Augustum Imperatorem numerantur anni 710. Iam si ab Augusto in anteriora tempora recurras omnino necesse est ut ab initio imperij eius ad Gallorum adventum nec plures nec pauciores intercesserint anni quam 345. quibus si addas 365. annos usq; ad initium urbis conditæ resultant anni 710.

Taceo de alijs specialibus Eventibus, ubi & de tempore & de consulibus atq; alijs magistratibus qui tum fuerunt egregiè inter Chronologos convenit, ita ut ex his vera quoq; series Annorũ ab urbe condita, etiamsi alicubi hiare videatur, facilè quoq; sarciri & coadunari possit. Hæc cum sint manifestissima, non amplius his immorabor.

Restat adhuc unum tantum, membrum in hac Tabula Annorum ab urbe condita absolvendum, nimirum tempus ab initio imperij Augusti usq; ad Nativitatem Christi, de quo paulo post dicetur, prius enim tanquam corollarij vice unum atq; alterum annũ annotabo ubi Livius incertum esse scribit qui consules sive magistratus tum fuerint, & quomodo recentiores Chronologi eos Scrupulos eximere conentur, ne series consulum interrum patur.

Caput VI.

DE ANNIS DVOBVS CONTROVERSIS, NIMIRVM 321. ET 387. AB VRBE Roma condita.

DE Anno 321. Livius Decad. 1. lib. 3. ita inquit. Eosdem consules, qui anno 320. ab V.C. fuere, insequenti anno refectos Iulium III, Virginium II apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias & Q. Tubero M. Manlium & Q. Sulpitium consules in eum annum ædunt. Cæterum in tam discrepanti æditione & Tubero & Macer libros linteos autores profitentur, neuter Tribunos militum eo anno fuisse traditum à scriptoribus antiquis dissimulat Licinio libros haud dubiè sequi linteos placet & Tubero incertus veri est, sed inter cætera vetustate incomperta hoc quoq; in incerto positum. Hæc ille. Porrò Macrum secutus est ex recentioribus Phrygio & Mercator, Valerium vero Glareanus & Funccius, nec multum refert sive hos sive illos sequaris, modò in serie temporum hic annus non negligenter sed accuratè observetur, nimirum quod nõ bis sed semel tantum sit numeran-

dus: Nam quod aliqui post refectos Iulium III & Verginiū II Coss. anno 321, adhuc anno proximè sequente, nimirum 322. M. Manlium & Q. Sulpitium Coss. seorsim interponunt, id pugnat cum sententia Livij & traditione scriptorum antiquorum, qui eò declinant, ut hoc anno Tribunos militum cum potestate consulari fuisse uno consensu affirment.

Porro de Tribunis militum Anni 387. Ab V.C. cum quoq; discrepent autores, ego sententiam Glareani tutò sequendam esse arbitror, nemini tamen præiudicans, sed potius meliora monenti ultrò cessurus sum. Ille verò cum duos tantum Tribunos militum in hunc annum edidisset, P. Valerium Potitum V. & C. Liciniū Stolonem, Reliquorum, inquit, nomina nec invenio, ac non horum quidem suo in loco. Potitus sane VI. etiam à Livio dicitur sequenti anno cum nusquam V. dicatur, & C. Licinius Stolo qui à P. Manlio Dictatore Magister equitum dictus est, dicitur antea fuisse Tribunus militū Consulari potestate, cum nusquam eius sit nomen toto hoc Catalogo. Adiuvat hanc opinionem nonus ille annus, quo Tribuni L. Sextius ac Stolo se iam in aciem adversus optimates maximo privato periculo, nullo publico emolumento stare conquerebantur. Hæc Glareanus. Vide Livium Decad. 1. lib. 6.

Caput VII.

DE ANNO QVADRAGESIMO SECVNDO IMPERATORIS AVGVSTI, QVO NATVS EST Iesus Christus Salvatorum Mundi.

ET si circa annos Domini quoto scilicet baptizatus, quotove passus sit quoq; nonnihil variant authores, potest tamen & hic scrupulus non ita difficulter expediri, si prius rectè observaverimus quomodo annus 42. Augusti Imperatoris Romanorum congruat cum anno nativitatis Christi: Id cum simpliciter sed fideliter explicet F. Iacobus Philippus Bergomas lib. 8. Chronicorum, subijciemus verba eiusdem.

Quoniam quidem, inquit, ex collatione annorum Christi & Regum mundi (quorum initia & fines frequenter sunt incerti) ambiguitas oritur in calculando, nec non & circa annos Domini quoto scilicet anno baptisatus, quotove passus sit Christus, varie loquantur autores, idcirco ad omnem dubitationem removendam, hoc in loco advertendum est quod Beda libro de Temporibus ait. Romani ante Numam Pompilium annum à Martio ob Martis reverentiam, à quo mensis ille denominatus est, sicut Hebræi incipiebant: ipse namq; Pompilius Ianuarium & Februarium anno prius confuso addidit, & tunc annū à Ianuario sive bruma inchoare cœperunt, quos & Romana

Ecclesia

Ecclesia in communi Calendario & anno usuali sequitur. Græci vero qui Olympiades invenerunt annum à solstitio æstivo (sic enim apud Bedam legendum est) incipiunt, Hebræi ab Æquinoctio vernali, quando mundus incepit, nimirum mense Martio ut antea est dictum. Ægyptij autem ab autumno, ut & orientales & præsertim Arabes & Chaldæi à fructuum collectione illatis in templum decimis scilicet in Octobris principio, quod proprie est Æquinoctium autumnale, sicut in Ezechielis Visione apparet, ubi de mense quarto agitur quinta die mensis, apud quos October primus erat mensium.

Cæterum præter prædictam variam anni inceptionem, est & annus Emergens qui à quovis rei eventu quovis tēpore anni usualis emergit & incipit, & revolutis duodecim mensibus Solaribus(ut nunc computatur annus) finē habet, atq; ita iterū in sua vestigia redit, & iterū atq; iterum circumvolvitur donec ea res numerari desinit, à cuius eventu ceptum est numerari, ut solet fieri in primordijs regum & imperatorum.

Ad hoc tempus Anni Emergentis annos Domini dupliciter numeramus, aut secundum Nativitatem, aut secundum ætatem: unde cum Christus in fine anni nostri Usualis, secundum cursum Solarem computati, natus sit, de primo ipso anno nativitatis tantum septem dies habuit, sed ætatis suæ annus primus nimirum annus duodecim mensium Solarium à 25. die mensis Decembris quo natus est Christus usq; ad eundē diem revoluto tempore annuo, completur in secundo anno nativitatis: & ita duos annos nativitatis secundum usualem annum penè in primo ætatis anno consummavit, & secundus annus nativitatis illi est qui & primus: unde fit ut Anni Dominicæ nativitatis secundum Solarem cursum sint quatuor & triginta ac pene cum dimidio. In quorum trigesimo secundum ætatem, trigesimoq; primo secundum nativitatem baptizatus est, quo anno computato cum ultimo pene dimidio verum fuit quod Christus quatuor annis prædicavit, vel saltē secundum Iohannis Evangelium tribus annis cum dimidio. In trigesimo autem tertio ætatis anno & trigesimo quarto nativitatis ipse Christus passus est. Annus igitur 42. Imperij Augusti, in quo natus est ipse Dominus, sicut incepit à Martio, cuius mensis die 15. Iulius Cæsar occisus est, ita & in eodem mense desinit, ratione Anni Emergentis, ideoq; Dionysius de hoc anno inquit, Initium ipsius in anno tertio centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis sumitur & finis eius in quarto anno eiusdē Olympiadis mense Martio concluditur. Porro anni regum & Imperatorum, quorum initia & finis rarò certus reperitur difficile cum Olympiadibus aut cum anno Domini computantur, eò quod initium in priori anno, finem vero in altero anno Olympiadis frequenter habet. Cum igitur Iulius Cæsar mense Martio interfectus fuerit, unde Octaviani regnum numeratur, Dominus in fine 42. anni Octaviani incepit primum suæ nativitatis annū. Et sic annus 43. Augusti incipit primo anno ætatis Domini, 44. in secundo anno, & 45 in tertio, & sic deinceps de reliquis. Hæc ille.

SCHO-

SCHOLION.

Libet & hîc subijcere ea quæ de accurata annoratione horum temporum lib.3.Chronicorum Carionis scripta extant.

Ab interitu IVLII inchoantur anni Augusti, cum Augusto tribuuntur anni quinquaginta sex.

IMPERATOR OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS tenet Imperium ab interitu IVLII annos 56. In his annis inclusi sunt anni duodecim, in quibus habuit collegam ANTONIVM.

Cum autem inchoantur anni AVGVSTI ab interitu IVLII, initium erit ab anno urbis Romæ septingentesimo undecimo.

Anno Mundi ter millesimo, nongentesimo vicesimo tertio.

Anno à morte Alexandri Magni usq; ad interfectum IVLIVM, ut Ptolemæus numerat, ducentesimo octuagesimo secundo.

Anno ante Christum natum ex virgine Maria, quadragesimo secundo ab interitu IVLII, &c.

Huc etiam referenda sunt quæ supra lib.1.cap.21.& lib.2.cap.42. annotavimus.

Summa omnium annorum ab urbe Roma Condita usq; ad Nativitatem Salvatoris nostri Domini Iesu Christi 751. A cuius Nativitate iam labitur Annus 1574.

Summa omnium annorum ab V.C. usq; ad hunc annum 2325.

CANDIDO LECTORI.

Absolvi tandem Deo iuvante opus, quod multis magnis & diuturnis laboribus mihi constitit, id ut magnos quoq; & salutares fructus ad gloriam nominis Dei, & Ecclesiæ ipsius emolumentum non pœnitendum ferat, eundem Deum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore precor. Te vero candide lector precor, ut candidè de his meis laboribus iudices, & cum omnium hominum sit labi, errare, decipi, mihi quæso ignoscas, si me lapsum alicubi putaveris vel etiam deprehenderis. Vbi vero te in lectione sacrarum & prophanarum historiarum mea opera aliquid adiutum experieris, quod non rarò spero futurum, Deo Opt. Max. pro suis donis mecum gratias agas: Cui sit laus, honor & gloria in sæcula sæculorum AMEN.



CHRONOLOGIA

Sive

SERIES ANNORVM MVNDI, DVcta per ſacram Scripturam, & Tempora quatuor Monarchiarum, & Olympiadum Græcorum, atque Annorum ab Vrbe Roma condita.

IN QVA OCVLARI DEMONSTRATIONE SPECTANda proponuntur ea, quæ in Quatuor Libris CLEMENTIS SCHVBERTI De Scrupulis Chronologorum prolixè tractantur.

Vt quàm plurimis & difficillimis SCRVPVLIS, *qui hactenus in Harmoniam temporum irrepſerant, multosq́; antiquitatis & veritatis diligentiſsimos Inquiſitores non parum torſerunt, primùm ſublatis: deinceps maiori cum luce, fructu & voluptate tam ſacræ quàm prophanæ Hiſtoriæ ab omnibus legi poſsint.*



ARGENTORATI
Excudebat Bernhardus Iobinus.
M. D. LXXV.

CHRONOLOGIA
Sive
SERIES ANNORVM MVNDI, DVcta per sacram Scripturam, & tempora quatuor Monarchiarum, necnon Olympiadum Græcorum, & annorum ab Vrbe Roma condita.

Annos ab initio mundi usque	*Ad initium regni Salomonis* *Ad Laosthenem 33. regem Assyriorum* *Ad Albam Syluium 6 regem Latinorũ* *Ad Labotam 4. regem Lacedæmoniorũ*	*Reperies supra*	*Lib. 1. Cap. 5. & 4.* *Lib. 2. cap. 2. 3. & 4.* *Lib. 3. cap. 3. & 6.* *Lib. 2. Cap. 35. & lib. 3. C. 4.* *De scrupulis Chronologorum.*

SERIES REGVM *populi Iudaici sumta ex sacris Biblijs.*

Anni Mundi,	Templi,	Salomonis,		Assyriorum,		Latinorum.	
2931		SALOMON *filius Dauid, rex in Hierusalem, regnauit annos 40. 3. Reg. 11.*	1				
2	SERIES *annorum Templi Salomonis.*		2				
3			3				
4	1	*Salomon filius rex in Hierusalem cœpit ædificare Templum Domini.*	4				
2935	2	*Anno ab exitu Israel ex Aegypto completo 480. Anno regni sui 4. 3. Reg. 6.*	5	SERIES *Regum Aßyriorum, sumpta ex Beroso & Metasthene.*		SERIES REGVM *Latinorum, sumpta ex Dionysio Halicarnasseo, & Eusebio.*	
6	3		6				
7	4		7			ALBA SYLVIVS VI. *Rex Latinorum, Ann. 39.*	
8	5		8				1
9	6		9	LAOSTHENES *33. Aßyriorum, Ann. 45.*	1		2
2940	7		10		2		3

Anni Mundi.	Templi.	R.Salom.	R.Assyriorum.	Latinor.	
2941	8	*Aedificatio Templi absoluta.* 11	3	4	SERIES REGVM LA*cedæmoniorum ex Eusebio, Pausania & Diod. Siculo.*
2	9	12	4	5	1 LABOTAS IIII. *rex Lacedæmoniorum. Ann. 37.*
3	10	13	5	6	2
4	11	14	6	7	3
2945	12	15	7	8	4
6	13	16	8	9	5
7	14	17	9	10	6
8	15	18	10	11	7
9	16	19	11	12	8
2950	17	20	12	13	9
1	18	21	13	14	10
2	19	22	14	15	11
3	20	23	15	16	12
4	21	24	16	17	13
2955	22	25	17	18	14
6	23	26	18	19	15

Anni Mundi.	Templi.	R.Salom.	R.Assyr.	Latin.	Lacedæm.
7	24	27	19	20	16
8	25	28	20	21	17
9	26	29	21	22	18
2960	27	30	22	23	19
1	28	31	23	24	20
2	29	32	24	25	21
3	30	33	25	26	22
4	31	34	26	27	23
2965	32	35	27	28	24
6	33	36	28	29	25
7	34	37	29	30	26
8	35	38	30	31	27
9	36	39	31	32	28
2970	37	40	32	33	29

DIVISIO REGNI SALOMONIS.

Propter Idolatriam Salomonis regnum Ebræorum diuisum est. Nam decem tribus à Roboam filio Salomonis ad Hieroboam filium Nebath defecerũt: verùm due tribus, Iuda & Beniamin partes Roboam secutæ sunt. A' Roboam autem deinceps numerantur reges IVDA, à IEROBOAM reges Israel. 3. Reg. 11. & 2. Paral. 10.

Anni Mundi.	Templi.	SERIES REgum Iuda.	SERIES REgum Israel.	Reg. Assyr.	Latin.	Laced.
2971	38	ROBOAM filius Salomonis regnat in Hierusalem, Ann. 17. 1	HIEROBOAM filius Nebath regnat in Israel Ann. 22. 1	33	34	30
2	39	3. Reg. 14. Semeias propheta floret qui Roboã à bello contra de-	3. Reg. 14. 2	34	35	31
3	40	cem tribus dehortatur. 2. Paral. 11.	Hieroboam Israelem initio regni sui in uitulis aureis peccare fecit. 3	35	36	32
4	41		Hæc est iniquitas Israel, quæ cum destructione Templi finem habet. Ezech. 4. Vide lib. 4	36	37	33
2975	42	Sesach Aegypti Rex Iudæam hostili exercitu inua-	1. de Scrupulis Chronol. Cap. 5. Ahias Silonites propheta floret, qui Ieroboam 5	37	38	34
6	43	sit, Hierusalem cepit, Templum spoliauit. 3. Reg. 14. 6	regnum decem tribuum offert. 3. Reg. 11. Eidemq́; mortem filij & 6	38	39	35
7	44	7	excidiũ familiæ prædicit. 3. Reg. 14. 7	39	1 ATYS Syluius VII. rex	36
8	45	8	8	40	Latinorum. Ann. 24. 2	37
9	46	9	9	41	3	1 DORYSsus VI. rex
2980	47	10	10	42	4	Lacedæm. Ann. 29. 2
1	48	11	11	43	5	3
2	49	12	12	44	6	4
3	50	13	13	45	7	5

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Iſrael.	Aſſyr.	Latin.	Lacedæm.
4	51	14	14	1 PYRIthiades 4 Rex Aſſyr. Ann. 30.	8	6
2985	52	15	15	2	9	7
6	53	16	16	3	10	8
7	54	17	17	4	11	9
8	55	ABIAM II. Rex Iuda. Ann. 3. Cœpit regnare anno 18. Hieroboam regis Iſael. 3 Reg. 15. 1	18	5	12	10
9	56	2	19	6	13	11
2990	57	ASA III Rex. Ann. 41. Cœpit regnare Anno 20 Hieroboam. Regnauit igitur cũ patre Abiam annum unum. Solus 40. 3 1	20	7	14	12
1	58	2	NADAB II. rex Iſrael Ann. 2. 1. 21	8	15	13
2	59	3	BAASA III. Rex. Ann. 24. 2. 1. 22	9	16	14
3	60	AZARIAS Propheta ſub Rege Aza uixit, eumq́; ad ſtudium ueræ pietatis cohortatus eſt. 2. Paral. 15. 4	Nadab cœpit regnare Anno 2, Aſa regis Iuda. 2. Ergo cum patre Hieroboam regnauit circiter annos 2. Solus o.	10	17	15
4	61	5	3	11	18	16
2995	62	6	Baaſa cœpit regnare anno 3. Aſa: Incidit igitur annus Baaſa in annum 22. Hieroboam, & annum 2. Nadab. Vide lib. I cap. 5. de Scrupulis Chronologorum. 4	12	19	17
6	63	7	5	13	20	18
7	64	8	6	14	21	19
8	65	9	7	15	22	20
9	66	10	8	16	23	21

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Assyriorum.	Latinorum.	Laced.
3000	67	Zara Aethiops cũ exercitu 1000000 hominũ, & curribus 300. ascendit cõtra Asa, quem Dominus exterruit, & ad internecionem cũ toto exercitu occidit. 2 Paral 14. 11	9	17	24	22
1	68	12	10	18	CAPIS Syluius VIII. rex Latinorũ. Ann. 28. 1	23
2	69	13	11	19	2	24
3	70	14	12	20	3	25
3	71	15	13	21	4	26
3005	72	Asa cum Benadad rege Syriæ fœdus facit, obiurgatus autem ob id à Propheta Hanani, irat usq; aduersus eum, iußit ut in uincula conijceretur. 2. Par. 16. 16	Baasa ædificauit Rama, ut nullus tutò poßet egredi & ingredi de regno Asa. fuit autem annus 36. à diuisione regni Ebræorum. 2. Paral. 16. 14	22	Ab hoc Capua condita est. 5	27
6	73	17	15	23	6	28
7	74	18	16	24	7	29
8	75	19	Hunc regem Hieu filius Anani, impietatis accusans, ab eodẽ interficitur. 3. Reg. 16. 17	25	8	1 AGESILAVS 6. rex Latinorũ.
9	76	20	18	26	9	2
3010	77	21	19	27	10	3
1	78	22	20	28	11	4
2	79	23	21	29	12	5
3	80	24	22	30	13	6
4	81	25	23	1 Ophrateus 35 rex Asfyr. an. 20	14	7
3015	82	26	ELA IIII. Rex. Ann. 2. 24 1	2	15	8

Anni Mundi,	Templi,	Iuda.	Israel.			Assyr.	Latin.	Laced.
6	83	27	ZAMBRI V. Rex. *Diebus* 7.	2		3	16	9
7	84	28	*Ela cepit regnare anno 26 Asa, quem secundo anno post occidit Zambri, & regnauit pro eo diebus 7. Inde interregnũ fuit in Israel trium annorum usque ad Amri 3. Reg. 16.*			4	17	10
8	85	29				5	18	11
9	86	30				6	19	12
3020	87	31	AMRI VI. Rex. *Ann.* 12.	1		7	20	13
1	88	32	*Cum Zambri sibi ipsi consciuißet mortem, orta est contentio de Regno inter Thibin & Amri, quæ tertio demum anno morte Thibin finita est. Inde Amri cœpit regnare anno 31 Asa, Ibidem.*	2		8	21	14
2	89	33	*Alij addũt Amri tres annos interregni, ut cœperit regnare anno 27 Asa, & desierit anno 38 eiusdem. Sed nos Textum Bibliorum secuti sumus.*	3		9	22	15
3	90	34	*Amri regnauit sex annis, emitq; montẽ Schamor, & ibidem Samariam regni sedem ædificauit. 3. Reg. 16.*	4		10	23	16
4	91	35		5		11	24	17
3025	92	36		6		12	25	18
6	93	37		7		13	26	19
7	94	38	ACHAB VII. Rex. *Ann.* 22.	1	8	14	27	20
8	95	39	*Achab cœpit regnare in Samaria anno 38 Asa. ibidem. Regnauit igitur cũ patre annis 5. Solus 17. Nisi numeros Amri propter interregnum transponere, ac retro referre uelis.*	2	9	15	28	21
9	96	40		3	10	16	1 *Capetus Syluius* IX rex *Latinorum.*	22
3030	97	41 *Iosaphat* IIII. Rex *Iuda. Ann. 25. cepit regnare anno 4. Achab 3. Reg. 22.*		4	11	17	2 *Ann* 13.	23
1	98	2	ELIAS, & *Elisæus Prophetæ florent.*	5	12	18	3	24

Anni Mundi	Templi	Iuda	Israel	Aegyp.	Assyr.	Latin.	Lacedæm.
2	99	3	In diebus Achab ædificauit Abiel de Bethel Hiericho, in Abiram primogenito suo fundauit eã, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius iuxta uerbũ Domini, quod locutus fuerat in manu Iosuæ filij Nun Iosue 6. 3. Reg. 16. 6		19	4	25
3	100	4	7		20	5	26
4	101	5	8		1 Ophrageneus 36 rex Assyriorũ Ann. 50.	6	27
3035	102	6	Porrò Elias Propheta, currus & auriga Israel circiter 30 annos docuit, nimirum ferè usq; ad obitũ Ioram filij Iosaphat. 2 Paral. 21. 9		2	7	28
6	103	7	10		3	8	29
7	104	8	Elisæus uerò unà cũ Elia, & post eum circiter annos 70 Ecclesiam Dei in Israel gubernauit, & attigit tempora Amasiæ regis Iuda. 4. Reg. 13. 11		4	9	30
8	105	9	12		5	10	31
9	106	10	13		6	11	32
3040	107	11	14		7	12	33
1	108	12	15		8	13	34
2	109	13	16		9	Tyberius Sylvius X. Rex Latinorum. Ann. 8. Ab hoc Tyberis, prius Albula dictus nomen habet. 1	35
3	110	14	17		10	2	36
4	111	15	18		11	3	37
3045	112	16	19		12	4	38
6	113	IORAM *filius Iosaphat primum regnare cœpit, patre eunte ad bellũ Syriacum. 2. Reg. 22.* Eliezer filius Do- 17	OCHOZIAS 8 Rex, Ann. 2 cœpit regnare anno 17. Iosaphat 3. Reg. 22. 20 1		13	5	39
7	114	18 1 2	IORAM IX rex, Ann. 12. cœpit regnare anno 2 Io- 21 2 1		14	6	40

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.		Israel.		Aegypt.	Assyr.	Latinor.	Lacedæm.
8	115	dan, obiurgat Iosaphat propter fœdus cum Ochozia rege. 2. Par. 20. 3	19	ram Iuda. 4.Reg.1.2 Et anno 18 Iosaphat 4.Reg.3.	22		15	7	41
9	116	De serie horum temporum, Vide lib.1. cap.6. de Scrup. Chron. 4	20	3			16	8	42
3050	117	5	21	4			17	1 Agrippa Syluius 11 rex, Ann. 40.	43
1	118 Iaribel Propheta prædicit Iosaphat uictoriam contra Moab et Ammon. 2. Par. 20.	Ioran filius Iosaphat iterum regnare cœpit, patre eunte ad bellum Moabiticum & Ammoniticum. Ab hoc tempore regnauit annos octo. 4.Reg.8. 1	22	5			18	2	44
2	119	2	23	6		SERIES Regū Aegyptiorum à CHEOPE usque ad PSAMMENITVM, qui captus est à CAMBYSE Persarū Rege, sumpta ex Herodoto, & Diodoro Siculo.	19	3	1 Archelaus 7 rex. Ann. 60.
3	120	3	24	7			20	4	2
4	121	4	25	8			21	5	3
3055	122	IORAM V rex Iuda solus post patrem regnat. Ann. 4. 5		9			22	6	4
6	123	1 2 | 6		10			23	7	5
7	124	3 | 7		11			24	8	6
8	125	OCHOZIAS 6. rex. 4 | 8 Ann. 1. cœpit regnare anno 12. Iorā Israel. 4.Reg.8. Quod uerò 4.Reg. scribitur anno 11. id de fine 11 anni intelligatur.		OCHOZIAS, & Ioram à Iehu interempti. 12		1 CHEOPS regnauit annis 50.	25	9	7
9	126	1		IEHV X. Rex. Ann. 28. 4.Reg.10. Hic unctus est rex ab Heliseo propheta, & zelo Domini omnem domum Achab deleuit, Sacerdotes Baal occidit, & templum eiusdem succendit. 1		2	26	10	8
3060	127	ATHALIA VII. Regina, Ann. 7. Hæc bestia omnem regiam stirpem interfecit præter Ioam infantem clam illi arreptum. 4.Reg.11. 2		2		3	27	11	9
1	128	3		3		4	28	12	10
2	129	4		4		5	29	13	11
3	130	5		5		6	30	14	12

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegypt.	Assyr.	Latin.	Laced.
4	131	6	6	7	31	15	13
3065	132	IOAS VIII.Rex, Ann.40. 7 1	7	8	32	16	14
6	133	*Ioas sex annis occultatus propter tyrannidem Athaliæ septimo anno produ-* 2	8	9	33	17	15
7	134	*citur à Ioiada pontifice, & interempta Athalia ab eodem in paternum solium collocatur, 4.Reg. 11.* 3	9	10	34	18	16
8	135	*Cœpit regnare anno 7.Iehu. 4 Reg. 12.* 4 *Hic Ioas in uerbis Domini am-*	10	11	35	19	17
9	136	*bulauit omnibus diebus, quibus regebatur à Ioiada Sacerdote. Sed hoc defuncto, ab aulicis suis seductus in* 5	11	12	36	20	18
3070	137	*omnis generis horrenda scelera prolapsus est, 2.Par.24.* 6	12	13	37	21	19
1	138	7	13	14	38	22	20
2	139	ZACHARIAS *propheta filius Ioiadæ ab hoc Ioa quoque interfectus est. ibidem.* 8	14	15	39	23	21
3	140	9	15	16	40	24	22
4	141	10	16	17	41	25	23
3075	142	11	17	18	42	26	24
6	143	12	18	19	43	27	25
7	144	13	*Hoc anno Carthaginem conditam esse à Didone Pygmalionis* 19	20	44	28	26
8	145	14	*Tyrij regis sorore Funccius ex Iosepho ostendit.* 20	21	45	29	27
9	146	15	*Sed Appianus Alexandrinus author est, eam urbem conditam esse annis 50 ante Troiam captam.* 21	22	46	30	28

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegyp.	Assyr.	Latin.	Lacedæm.
3080	147	16	22	23	47	31	29
1	148	17	23	24	48	32	30
2	149	18	24	25	49	33	31
3	150	19	25	26	50	34	32
4	151	20	26	27	1 ASCRAZAPES XXXVII. Rex Assyr. Ann. 42.	35	33
3085	152	21	27	28	2	36	34
6	153	22	28	29	3	37	35
7	154	23 *Ioas instaurat Templū* Domini, 4. Reg. 12. 2. Paral. 24	1 IOAZCHAZ XI. *rex.* *Ann.* 17. *Cœpit regnare anno* 23. *Ioas,* 4. Reg. 1.	30	4	38	36
8	155	24	2	31	5	39	37
9	156	25	3	32	6	40	38
3090	157	26	4	33	7	1 ALLADIVS *Syluius* XII Rex *Latinorū. Annis* 19. *Eutropius hunc* Remū *Syluium uocat.*	39
1	158	27	5	34	8	2	40
2	159	28	6	35	9	3	41
3	160	29	7	36	10	4	42
4	161	30	8	37	11	5	43
3095	162	31	9	38	12	6	44

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel	Aegypt.	Assyr.	Latin.	Laced.
6	163	32	10	39	13	7	45
7	164	33	11	40	14	8	46
8	165	34	12	41	15	9	47
9	166	35	13	42	16	10	48
3100	167	36	14	43	17	11	49
1	168	37	IOAS 12 rex, 1 ann. 16. cœpit regnare in Israel — 15	44	18	12	50
2	169	AMAZIAS 9. rex. 1 cœpit regnare — 38	anno 37 Ioas 2 — 16	45	19	13	51
3	170	anno 2 Ioas Israel 2 — 39	regis Iuda. 4. Reg. 1. 3 — 17	46	20	14	52
4	171	4. Reg 13. 3 — 40	Sub hoc rege Elisæus mortuus est. 4. Reg. 14. 4	47	21	15	53
3105	172	4	5	48	22	16	54
6	173	5	6	49	23	17	55
7	174	6	7	50	24	18	6
8	175	7	8	1 Cephrenes, ann. 56.	25	19	57
9	176	8	9	2	26	1 Auentinus 12 Rex, ann. 37.	58
3110	177	9	10	3	27	2	59
1	178	10	11	4	28	3	60

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.		Israel.	Aegypt.	Assyr.	Latin.	Lacedæm.
2	179		11	12	5	29	4	1 Teleclus rex Ann. 40.
3	180		12	13	6	30	5	2
4	181		13	14	7	31	6	3
3115	182		14	15	8	32	7	4
6	183		15	HIEROBOAM XIII Rex. 16 Ann 41. 1	9	33	8	5
7	184	*Amazias uixit post obitum Ioas uictoris sui. Ann 15. 4. Reg. 14.* 1	16	*Cœpit regnare anno 15 Amaziæ.* 2 *4 Reg. 4. Sub hoc Hieroboam*	10	34	9	6
8	185	2	17	*floruit Ionas Propheta. ibid.* 3 *Item Oseas. Ose 1. Et Amos. Amos 1.*	11	35	10	7
9	186	3	18	*Et Ioel ut uult Hieronymus.* 4	12	36	11	8
3120	187	4	19	5	13	37	12	9
1	188	5	20	6	14	38	13	10
2	189	6	21	7	15	39	14	11
3	190	7	22	8	16	40	15	12
4	191	8	23	9	17	41	16	13
3125	192	9	24	10	18	42	17	14
6	193	10	25	11	19	TONOS *concoleros* XXXVIII. 1	18	15
7	194	11	26	12	20	*& ultimus Assyriorū rex.* 2 *Ann. 15.*	19	16

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.		Israel.	Aegypt.	Assyr.	Latin.	Laced.
8	195	12	27	13	21	3	20	17
9	196	13	28	14	22	4	21	18
3130	197	14	29	15	23	5	22	19
1	198	*Interregnum in Iuda undecim annorum, quod inde apparet, quia* Ozias *siue* Azarias *cœpit regnare anno* 27 Hieroboam Regis *Israel.* Vide lib. 1. Cap. 5. & 6. de Scrupulis Chronologorum. 15		16	24	6	23	20
2	199	16		17	25	7	24	21
3	200	17		18	26	8	25	22
4	201	18		19	27	9	26	23
3135	202	19		20	28	10	27	24
6	203	20		21	29	11	28	25
7	204	21		22	30	12	29	26
8	205	22		23	31	13	30	27
9	206	23		24	32	14	31	28
3140	207	24		25	33	15	32	29

DIVISIO REGNI Aſſyriorum.

CVM hic Sardanapalus eſſet omni muliere corruptior, Præfecti eius Arbaces & Belochus, quorum hic Babylonijs, ille Medis dominabatur, effœminatum regem exoſi, facta coniuratione bellum illi intulerunt. At Sardanapalus initio quidem ſemel atque iterum feliciter aduerſus coniuratores pugnauit, vt ſcribit Diodorus: ſed tandem victus fugam dedit, & in regiam elapſus extructa pyra ſe & diuitias ſuas incendio commiſit, hoc ſolo imitatus virum. Inde victores Monarchiam ita inter ſe partiti ſunt, vt Belochus Babyloniam, cui addebatur Aſſyria, Arbaces uerò Medos cum Perſis regeret. Atque ita finem habent anni 1234 à Nino primo rege Aſſyriorũ vſque ad Sardanapalum. Vide Lib. 2. cap. 4 & 5. de Scrup. Chronologorum.

Cur autem Sardanapalo non anni 26. ſed tantùm anni 15 completi (nam 16. anno Phul Belochus & Arbaces regnare cœperunt) aſcribendi ſint. Lege Commentarios Iohannis Annij in libellum Metaſthenis de iudicio Temporum.

Porro ab Arbace Medò duæ familiæ regiæ deſcenderunt, quarum vna deſcribitur à Metaſthene & Diodoro, altera ab Euſebio & Herodoto. Vide lib. 2. Cap. 6. de Scrup. Chronolog.

Anni Mundi,	Templi,	Iuda.	Israel.	Aegypt.	Latin.
3141	208	*Amazias occiditur in 25. Lachis.*	26	34	33
2	209	AZARIAS OZIAS X. *rex, Ann. 52.* 1 *Sedecim annorum erat cum regnare cepisset. Cœpit autem regnare anno 27 Hieroboam. 4 Reg. 15. 2 Par. 26.*	27	35	34
3	210	*Huic regi familiaris fuit* 2 *Zacharias Propheta, alius ab illo qui fuit filius Ioiadæ. ibidem.*	28	36	35
4	211	3	29	37	36
3145	212	4	30	38	37
6	213	5	31	39	1 PROCAS *Syluius* 14 *rex Latinorum. Ann. 23.*
7	214	6	32	40	2
8	215	7	33	41	3
9	216	8	34	42	4
3150	217	9	35	43	5
1	218	10	36	44	6
2	219	11	37	45	7
3	220	12	38	46	8
4	221	13	39	47	9
3155	222	14	40	48	10
6	223	15	41	49	11

Babyloniorum.	Medorum,	Lacedæmon.	Macedonum.
PHVL BELOCHVS I. Rex Babyloniorum. Annis 48. 1 Hi reges in ſacra Scriptura uocantur	ARBACES 1 I. rex Medo-	30	
Reges Aſſyriorum, eò quod Aſſyrijs cum Babylonijs imperauerint, Habitarunt autem ple- 2 rique ipſorum in Niniue. Funccius.	rum, Ann. 28. 2	31	
Hunc regem Niniue ad concionem Ionæ pœnitentiam egiſſe ferunt. Ion. 3. 3	3	32	
4	4	33	
5	5	34	
6	6	35	
7	7	36	
8	8	37	
9	9	38	
10	10	39	
11	11	40	
12	12	ALCAMENES IX. rex Lacædæmo- 1 niorum. ann. 37.	
13	13	Poſt Alcamenem Euſebius finitum eſſe ſcribit regnum Lacedæ- 2 moniorum. De quo loco, uide lib. 3. de Scrupu-	SERIES REGVM MACEDONIÆ à Carano uſque ad Alexandrum Magnum, ſumpta ex Euſebio & emendata.
14	14	lis Chronologorũ, cap. 10. 3	
15	15	4	CARANVS I. Rex Macedonũ. Ann. 28. 1 Caranus caprarum ſequens gregem Ediſſam capit, quam ab euen-
16	16	5	tu Aegeam uocauit, regniq; Macedonũ fundamen- 2 ta iecit. Iuſtin. lib. 7.

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegypt.	Latinor.
7	224	16	Interregnum annorũ 22 in Israel usque ad 38 annum Oziæ regis Iuda.	50	12
8	225	17		51	13
9	226	18		52	14
3160	·227	19		53	15
1	228	20		54	16
2	229	21		55	17
3	230	Amos propheta duobus annis ante ter- 22 ræ motum prædicit exci		56	18
4	231	dium regno Israel, quòd post 65 annos secutũ est. Amos 1 Iesaiæ 7. 23 Vide anno mundi 3228.		1 MYCERInus Ann. 6.	19
3165	232	Si Iesaias eodem tempore cum Amos prophetare cœpit, guber= 24 nauit ab hoc tempore us=	Terræmotus circa hæc tempora factus est, qui interitũ regni Israel præ	Hic si Dijs placet, pro= pter 2 summã pie=	20
6	233	que ad Manassen Ecclesiam circiter annos 90 Nam à Ma 25 nasse serra dissectus esse	nunciauit. Amos 1. Hunc terræmotum præ= uidit Amos in diebus O= ziæ regis Iuda, & Hie=	tatem & clementiam imma= 3 tura morte	21
7	234	scribitur. 26	roboam filij Ioas regis Israel. ibid.	obijt. 4	22
8	235	27		5	23
9	236	28		6	1 Amulius Syluius 15
3170	237	29		1 Asychis. Ann. 6.	rex Latinorum. Ann. 44. 2
1	238	30		2	3
2	239	31		3	4

..iorum.	Medorum.		Lacedæmoniorum.		Macedonum,& Lydorum.
17		17	6	3	
18		18	7	4	
19		19	8	5	
20		20	9	6	
21		21	10	7	
22		22	11	8	
23		23	12	9	
24		24	13	10	
25		25	14	11	
26	*Ab Arbace duæ familiæ regiæ descendunt*	26	15	12	SERIES REGVM LYDOrum *ex Eusebio & Herodoto excerpta.*
27	*Mandanes Ann 50.*	*Sosarmus Ann. 30.* 27	16	13	
28		28	17	14	
29	1	1	18	15	ARDISVS I. Rex Lydorum, *Ann. 36.* 1 *Herodotus lib. 1 scribit regnum Lydorum per annos 505 durasse, sed nomina superiorum regum nõ extant,*
30	2	2	19	16	*quin & horum trium regum nomina usque ad Candaulem quoque non extant apud Herodotũ.* 2
31	3	3	20	17	*(nisi quod de Mele obiter mentionem facit) ideoq; ea ex Eusebio mutuati sumus.* 3
32	4	4	21	18	4

Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegypt	Latin.
3	240	32		4	5
4	241	33		5	6
3175	242	34		6	7
6	243	35		ANYSIS Cæcus, & pro ipso Sabacus Aethiops. Ann. 50. 1	8
7	244	36		2	9
8	245	37		3	10
9	246	38	ZACHARIAS 14 Rex. Menses 6.	4	11
3180	247	39	SELLVM 15 rex. Mens. 1. 1 Manahen 17. rex, ann. 10	5	12
1	248	40	Zacharias cœpit regnare anno 38 Azariæ. 2 4 Reg. 15.	6	13
2	249	41	Sellum cœpit regnare anno 39 Azariæ. 3 ibid.	7	14
3	250	42	Manahen cœpit regnare anno 39 Azariæ. 4 ibid.	8	15
4	251	43	5	9	16
3185	252	44	6	10	17
6	253	45	7	11	18
7	254	46	8	12	19
8	255	HESIODVS poeta in ipsis auspicijs primæ Olympia- 47	9	13	20

Babylo niorum,	Medorum,		Lacedæmon.	Macedonum,	&Lydorum.
33	5	5	22	19	5
34	6	6	23	20	6
35	7	7	24	21	7
36	8	8	25	22	8
37	9	9	26	23	9
38	12	10	27	24	10
39	11	11	28	25	11
Cum Manahen ui & tyrannide occupasset regnum Israel, dedit Phul Belocho mille talenta ut esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius, 4. Reg. 15. 40	12	12	29	26	12
41	13	13	30	27	13
42	14	14	31	28	14
43	15	15	32	COENVS II. *rex Macedoniæ. Ann.12.* 1	15
44	16	16	33	2	16
45	17	17	34	3	17
46	18	18	35	4	18
47	19	19	36	5	19
48	20	20	37	6	20

SERIES Olympiadum Græcorum.	Anni Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegypt.	Latinor.
1	9	256	dis obiit. Solin. cap. 43. 48	10	14	21
	3190	257	49	*Interregnum unius anni in Israel, aut pone Manahen regnare cœpisse in fine 39. & initio 40 anni Azariæ.*	15	22
	1	258	50	PHACEIA *filius Manahen* XVII. *rex. Ann. 2.* 1 *Cœpit regnare anno 50. Azariæ. 4. Reg. 15.*	16	23
	2	259	51	2	17	24
2	3	260	52	PHACEE *filius Romeliæ* XVIII *rex Ann. 20.* 1 *Cœpit regnare anno 52 Azariæ. ibidem.*	18	25
	4	261	IOTHAM XI. *rex. Ann. 16.* 1 *Cœpit regnare anno 2 Phacee filij*	2	19	26
	3195	262	Romeliæ. 4. Reg. 15. 2	3	20	27
	6	263	MICHEAS *propheta sub* 3 *hoc & sequentibus*	4	21	28
3	7	264	*duobus regibus floret. Mich. 1.* 4	5	22	29
	8	265	5	6	23	30
	9	266	6	7	24	31
	3200	267	7	8	25	32
4	1	268	8	9	26	33
	2	269	9	10	27	34
	3	270	10	11	28	35
	4	271	11	12	29	36

Babyloniorum.	Medorum,	Lacedæmon.	Macedonum.	Lydorum.
TEGLAT Phul assar II. Rex Babyloniorum. Ann. 25. 1	21 21	POLYDORVS X. rex Lacedæm. Ann. 53. 1	7	21
2	22 22	2	8	22
3	23 23	3	9	23
4	24 24	4	10	24
In diebus Phacee regis Israel uenit Teglat 5 Phul Assar, & cœpit	25 25	5	11	25
Iion, Abel, Bethmacha & Ianos & Chedes, & Asor, Gilead & 6 Galileam, atque uniuersam terram Nephtali,	26 26	6	12	26
& transtulit eos in Assyriam. 4. Reg. 15. 7	27 27	7	TYRIMAS III. Rex Macedonum. Ann. 38. 1	Romulus & Remus nati 27 anno 27 Amulij regis patrui sui.
8	28 28	8	2	Eusebius. Annis 18 ante urbem 28 conditam. Dionysius.
9	29 29	9	3	29
10	30 30	10	4	30
11	MEDIDVS, Ann. 40. 31 1	11	5	31
12	32 2	12	6	32
13	33 3	13	7	33
14	34 4	14	8	34
15	35 5	15	9	35
16	36 6	16	10	36

Ab initio Nabonassaris usq; ad mortẽ Alexandri Magni sunt anni 424. Ptolomæus lib. 3. Almagesti cap. 8. usq; ad ultimũ annum uero Cambysis sunt anni 225. Idem lib. 5. cap. 14.

Anni Olymp.	Mundi.	Templi.	Iuda.	Israel.	Aegypt	Latin.
5	3205	272	12	13	30	37
	6	273	13	14	31	38
	7	274	14	15	32	39
	8	275	15	16	33	40
6	9	276	16 ACHAZ XII Rex. 1 *Ann. 16.*	17	34	41
	3210	277	*Cœpit regnare anno 17 Phacee filij Romeliæ. 4. Reg 16.* 2	*Tempore Achaz Obed pro-* 18 *pheta floret in Israel. 2. Par. 28.*	35	42
	1	278	3	19	36	43
	2	279	RAZIN *rex Syriæ & Phacee filius Romeliæ rex* 4 *Israel ascendunt contra Achas*	*Prophetia edita de Virgine* 20 *paritura Emanuelem 750 annis*	37	44
7	3	280	*præliaturi: sed uterque miserè pereunt, Hic occisus ab Osee filio Ela. alter à Te-* 5 *glar Phul assar rege Babyloniorum.* Ies. 7. 4 Reg. 15. & 16.	*ante natum Christum. Iesa. 7.*	38	*Finis regum Latinorum, quos sequuntur Reges Ro-*
	4	281	6	*Osee percussit & interfecit Phacee filium Romeliæ anno 20 Iothan,*	39	*manorum, & series annorum ab Vrbe Roma condita pagina sequente.*
	3215	282	*Porrò quod Iesaias post annos 65 deuastationem Sy-* 7 *riæ & Samariæ prædicit, irri-*	*qui fuit 5. Achaz. 4 Reg. 15. Obtinuit igitur Osee regnum Isra-*	40	
	6	283	*tum horum annorum non sumendum est à quarto anno Achaz: sed à Prophe-* 8 *ta Amos facta sub Azaria si-*	*el per tyrannidem septem annis, donec anno duodecimo Achaz pro le-*	41	
8	7	284	*ue Ozia rege Iuda, qui Syriæ & Samariæ & uicinis gentibus eandem ca-* 9 *lamitatem prædixit, ut Rabi*	*gitimo rege habitus & confirmatus est.*	42	
	8	285	*Salomon & alij Iudæi uno consensu docent.* 10		43	
	9	286	11		44	
	3220	287	12	OSEE XIX *rex atq; ultimus.* 1 *Ann. 9. Cœpit regnare anno 12 Achaz. 4 Reg. 4.*	45	

Babyloniorum	Medorum		Laced.	Maced.	Lydorum	Rom.	Ab V.C.
17	37	7	Lacedæmone primus Ephorus, quod 17	11	ALIACtes II. rex Lydorũ. ann. 14. 1		
18	38	8	Magistratus nomen est, constituitur, 18	12	2		
19	39	9	cùm hactenus sub regibus fuissent annis 19	13	3		
20	40	10	340. Eusebius annis 130 post 20	14	4		
21	41	11	reformatam Rempub. Lacedæmoniorum, 21	15	5		
22	42	12	à Lycurgo, sub rege Charilao. Plutar- 22	16	6	SERIES Regum Romanorum.	
23	43	13	chus in Lycurgo. Vide lib. 3. de Scrupulis 23	17	7	Romulus & Remus Amuliũ obtruncant, & Numitori Albanæ re permissa, Vr-	SERIes annorum ab Vrbe Roma condita.
Teglat Phulassar Razin regem Syriæ interfecit. 4. Reg. 16. 24	44	14	Chron. cap. 11. 24	18	8	bem Romam condunt.	
25	45	15	25	19	9	ROMVLVS I. rex Romanorum ann. 37. 1	1
SALMANASsar III. Rex Babyloniorum, ann. 17. 1	46	16	26	20	10	Liuius lib. 1. Dionysius lib. 1. Euseb. in Chron. 2	2
Regnauit cum patre ann. 2. Solus 15. 2	47	17	27	21	11	3	3
NABONASsar (qui idem est Salmanassar) in- 3	48	18	28	22	12	Raptus Sabinarum. 4	4
cipit regnare apud Assyrios secundum Ptolomæum. Regnauit solus, ut dictum est ann. 15. 4	49	19	29	23	13	De aliis rebus gestis Romuli, lege Liuiũ & Dionysium, inprimis autem Plutarchum in Romulo. 5	5
5	50	20	30	24	14	6	6
6	1 SOSARmus. ann. 30.	21	31	25	1 MELES	7	7
7	2	22	32	26	III. Rex Lydorum. Ann. 12. 2	8	8

Vrbs Roma condita annis post excidiũ Troiæ 430. ante natũ Christum 750.

Anni Olymp.	Mundi.	Templi.	Iuda	Israel.	Aegypt.
9	1	288	13	2	46
	2	289	14	3	47
	3	290	EZECHIAS XIII. rex ann. 29. cœpit regnare anno 3 Oseæ, scilicet in fine anni 3. & initio anni 4. ut quartus annus Ezechiæ cum 7 Oseæ conueniat. Nam anno 4. Ezechiæ qui erat annus septimus Oseæ regis Israel, ascendit Sabnamassar rex Assyriorum, & oppugnauit Samariam, eamq; post tres annos cepit, hoc est anno sexto Ezechiæ, & anno nono Oseæ. 4. Reg. 18. 1 | 15	4	48
	4	291	2 | 16	5	49
10	3225	292	3	6	50
	6	293	4	SALMANASsar obsidet Samariam. 4. Reg. 18. 7	SETHON Vulcani Sacerdos. 1
	7	294	5	8	2
	8	295	6	SAMARIA capta, & regnum Israel destructum à Salmanassar rege Assyriorum, cum durasset post mortem Salomonis. ann. 258. 9	Anno nono Oseæ, Salmanassar, transtulit Israel in Assyrios, posuitq; eos in Aiam & in Abor iuxta fluuium Gozam in ciuitatibus Medorum. 4. Reg. 17. 3
11	9	296	Hanc captiuitatem & destructionem Samariæ Micheas de Mora si propheta breui ante prædixit. Ier. 26. Mich. 1. 7		4
	3230	297	8		5
	1	298	9		6
	2	299	10		7
12	3	300	11		8
	4	301	12		9
	3235	302	13		10
	6	303	IERVSALEM sub Ezechia rege diuinitus liberatur à tyrannide Sennacherib, & ange 14		Sethon Rex Aegypti per uim agrestium muriũ in hostilem exer 11

Babyloniorum	Medorum,		Lacedæmon.	Maced.	Lydorum.	Rom.	Ab vrb. cond.
8	3	23	33	27	*Herodotus scribit hunc Melem circum tulisse per muros Sardium leonem, eoque loci urbem inexpugnabilem esse redditam.* 3	9	9
9	4	24	Hoc anno 1. Olympiad. 9. *Lacedæmonij Ampheam oppidum Messeniorum occupant. Vnde ortū primum bellū Messenicum uicennale. Pausanias lib. 4.* 34	28	4	10	10
10	5	25	35	29	5	11	11
11	6	26	36	30	6	12	12
12	7	27	37	31	7	13	13
Cum deprehendisset Salmanassar, quòd Osee rex Israel tergiuersaretur annuum tributum sibi reddere, & nuntios misisset ad Sua regem Aegypti (qui est Sethon) obsedit eum & uinctum in carcerem misit, Samariamq; tribus annis obsessam cepit. 4. Reg. 17. 13	8	28	38	32	8	14	14
14	9	29	39	33	9	15	15
15	10	30	40	34	10	16	16
16	11	31	41	35	11	17	17
17	12	32	42	36	12	18	18
SENNAHERIB IIII. *rex Babyloniorum. Ann.* 7. 1	13	33	43	37	CANDAVLES IIII. Rex Lydorū. ann 17. *A Græcis Myrsilus appellatur, & fuit postremus ex Heraclidis, qui Lydis imperarunt. Nec mirum est hunc Candaulem propter ostentationem uiuæ imaginis coniugis suæ, regno excidisse, cùm Plinius testetur eum pictas imagines adeo in precio habuisse* 1	19	19
2	14	34	44	38	2	20	20
3	15	35	45	PERDICCAS IIII. *rex Macedoniæ. Ann.* 51. *De hoc Perdicca uide Herodotum lib.* 8. *& Iustinum lib.* 7. 1	3	21	21
4.	16	36	46	2	4	22	22
5 / 1 MERODACH Baladam. ann. 52. *Cum Assaradone regnauit ann* 10. *Solus* 42. *Nam cum Senna-* / ASSARADON. I V. *rex Babyl. ann.* 10.	17	37	47	3	5	23	23
6 / 2	28	38	48	4	6	24	24

Anni Olymp.	Mundi,	Templi,	Iuda.		Aegypt.
13	7	304	*lus Domini percus sit in castris* 15 *Assyriorū* 185000	*citum diuinitus effusam, uictoriam obtinet contra Sennaherib regem Assyriorum. Herodotus lib. 2. Ioseph.lib,10. cap.1*	12
	8	305	*hominū.* 4. *Reg.* 19. 16 *Circa hoc tempus*	*Videtur autem Herodotus uoluisse liberationem Ierosolymæ & Ezechiæ à Sennaherib indicare, sed uera historia non integrè ipsi nota fuit.*	13
	9	306	*Nahum propheta uixisse putatur, qui urbi* 17 *Niniue, ac regno*		14
	3240	307	*Assyriorum excidium denunciat, se recentum* 18 *annis post Ionam.*		15
14	1	308	19		16
	2	309	20	SERIES REGVM *Cyrenæorum in Africa, excerpta ex Herodoto.*	17
	3	310	21		18
	4	311	22	1 BATTVS I. *Polymnesti filius, coloniam in Lybiam duxit, & locum Aziristum sex annis à primo aduentu suo incoluit. Regnauit cum Arcesilao filio annis*	19
15	3245	312	23	2 *56. Vide lib. 3. de Scrupulis Chronologorum, cap 9.*	20
	6	313	24	3	21
	7	314	25	4	22
	8	315	26	5	23
16	9	316	27	6	24
	3250	317	28	7 CYRENE *urbs Lybiæ iuxta fontem Appollinis à Batto condita Herod. lib. 4.*	25
	1	318	29	8	26
	2	319	MANASSES XIIII. *rex ann 55.* 1	9	

A secundo anno Merdocempadi, quem Funccius dicit esse Merodach Baladan, usque ad annum 19. Adriani Imperatoris Romanorū sunt anni 854. Ptolom. lib.4 cap. 7.

Babyloniorum.	Medorum.	Lacedæm.	Maced.	Lydorum.	Rom.	Ab V.C.
2 herib moliretur 7 bellum aduer= 3 3 sus Iudæam &	19 39	49	5	se, ut Bular= chi pi= 7 ctoris tabu-	25	25
Aegyptum anno re- gni quinto, hic Me= 4 rodach occupa- 4 uit regnũ Babylonicum,	20 40 CARDICE- AS. ann. 13.	50	6	lam in qua erat Magne- tum pre= 8 lium auro	26	26
cõtra quem Sennaherib qui tunc in urbe Niniue 5 degebat Assara= 5 donem filium regem Ba= byloniorum designauit.	21 1	51	7	rependerit. Plin. lib. 35. cap. 8. 9	27	27
Ipse uerò anno regni sui 6 sexto, cum in= 6 genti exercitu extra limi	22 2	52	8	10	28	28
